

π n
6092





II n
6092

2.K
104,2.

DISCURSUS ACADEMICUS,
DE
CELEBERRIMO POTENTISSIMOQUE
IMPERIO
TURCICO.

Quam
FAVENTE AUTORE ATQUE MODE-
RATORE IMPERIORUM,

PRÆSIDE

VIRO AMPLISSIMO, PRÆCLARISSIMO
ET EXCELLENTISSIMO

DN. JOH. ANDREA BOSIO,
HIST. P. P.

*Patrono, Præceptore atque Fautore suo, summo honoris
& observantia cultu nunquam non prosequendo,*

in illustri Salana

benevola disquisitioni subjecit

Ulhard Hermann Kummel / HANNO-
VERANUS.

Ad d. Octobr. An. Cbrist. clæ 1æc LXII.
EDITIO SECUNDA.

Recusa Geræ Literis MÜLLERIANIS.
Sumptib. Christoph. Enoch. Buchta.
ANNO 1672.



DISCURSUS ACADEMICUS

DE

IMPERIO

TURCICO

AVERTISSEMENT

PREFACE

DE

DAVID

FIRST P. P.

TABLE

CONTENTS

OF

THE

AND





Ad sit Gratia Dei

I.

N reip. cujusdam cognitio- *Arist. 1. Rh.*
8. n. 8.
nem qui pervenire cogitat, illi cum primis
Finis quem illa sibi propositum habet cog-
nitus sit necesse est. Non verò existimandum,
eosdem ab omnibus Rebus, Fines attendi;
nam quemadmodum homines secundum
temperamentorum; sic Res, secundum intentionum varie-
tates à se invicem distant.

II. Potest verò Finis ille duplex constitui; Unus, qui
imperantibus; alter, qui Reip. propositus est. Finis impe-
rantium certus constitui nequit: variat enim pro diversis i-
psorum ingeniis, moribus, consiliis; privatam tamen sapissi-
mè commodum respicit, quale e. gr. in Tyrannide est τὸ συμ-
φέροντα μοι ερχάντο; in Oligarchia, τῶν ὀλιγαρχάντων; & in
Democratia, τὸ δῆμον. Alius est Reip. finis; qui cum maxi-
me nostro proposito conducere videatur, accuratiùs ali-
quantò perpendendus est.

III. Constat verò ex Ethicis, quatuor potissimum esse,
circa quæ hominum vita occupari solet. Illi enim homines,
quibus, (ut Poeta canit)

De meliore luto finxit præcordia Titan,

ita actiones suas instituunt, ut veram virtutem consequan-
tur; vel, hac relicta, potentia & gloria student: Alii verò
non tam rerum potiri, quàm opum copia abundare fata-
gunt. Sunt etiam, qui obscæno voluptatum cœno immer-
si, quod tempus alii virtutibus, potentia, aut rei acquiren-
dæ

A

dæ

dæ dant, illud delitiis tribuere non verentur, solo ventre felicitatem suam metientes. Hæc diversitas non tantum in singulis hominibus, sed etiam in integris gentibus aut Rebusp. deprehenditur. Et primum ac perfectissimum finem, virtutem puta, quod attinet, ad illum ne collimatum quidem à plerisque Rebusp. esse apparet. Exemplum tamen præbet *Resp. Hebræorum*, à DEO, prudentissimo legislatore instituta. Hæc enim, si quæ unquam, perfectæ vitæ scopum affectavit. Potentiam verò bellicam, quam plurimis, iisque celebrioribus rebusp. fuisse propositam, historiæ demonstrant. In his agmen ducunt potentissima illa civitatum Regina, *Resp. Romana*, quippe quæ *extra anni solisq; vias* progressa est, & *marginè cæli clausit opes*, ut *Claudianus* canit; & Romani Imperii æmula *Carthago*; quin etiam duo illa Græciæ *ἑνωμένη Sparta & Athene*; ut & Romanorum Antagonistæ, *Parthi & Germani*. Divitias autem quod attinet, plura se offerunt exempla earum rerump. quæ hisce comparandis studuere, aut hodieque student. Quales apud veteres fuere *Tyrus & Sydon*, maritimarum urbium celeberrimæ; hodierno verò tempore celebris illa *Resp. Batavorum*, de qua dici verissimè potest, quod *Satyricus* canit:

Han.1 Ep.1

Impiger extremos currit mercator ad Indot,

Per mare, pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Voluptatem denique multas olim gentes sectatas fuisse docet historia Orientalis, *Persarum* præcipue & *Assyriorum*, & in univèrsam omnium pæne Asiaticorum :: qui & eam ob causam *libidinosi* vocantur.

IV. Hisce ita præmissis ad argumentum huic Dissertationi destinatum, *Imperium* scilicet *Ottomannicum*, nos convertimus, de quo cum longe plurima haud inutiliter disquiri possint, nos in præsentem non nisi *finem* illius duplicem, *mediæque* ad obtinendum utrunque à Turcis adhiberi quæ solent, præcipua considerabimus, quibus paucula de *firmitate imperii ejus* adjungemus.

V. Fi-

V. *Finis* itaq; *Dominantis* in Imperio Ottomannico nihil aliud est, quàm absoluta, & nullis limitibus circumscripta potentia. Ad quam obtinendam, quæ ab Imperatoribus Turcicis adhibentur *media*, constitui possunt duplicia: *Externa* & *interna*. In *externis* palmam ducit *Imperatoris* *vilantia*, qua illorum, quæ publicè & privatim aguntur, nil illum latere potest. Illam verò acquirit vel per se ipsum, vel per alios. Per seipsum; dum omnibus consilijs ita interest, ut non visus omnium sententias liberè audire possit. Sic enim *Bodinus*: *Turcarum Princeps* *Senatui* *rarius interesse* *consuevit*, *sed interiore ac proximo* *Senatus habendi loco fere* *semper consistit*, *aut consistere putatur*, *ut omnes omnium sententias audire*, *gestus etiam uniuscujusque contemplari*, *ne tamen ipse videri possit*. *Ita fit*, *ut Senatores*, *qui Principem se assidue intueri Putant*, *in officio contineantur*. Per alios verò, dum in aula permultos alit exploratores, quorum officium est speculari, quo nam primariorum ministrorum actiones tendant. De quibus *Job. Lassenius* in Tract. quem vocat *Türcken Macht / von Gott verlacht*: *Es seyn allenthalben an dem Türckischen Hofe Kundschafter bestellet / welche auf grosser Herren & Hun Achtung geben*. Hic accedit *poena*, *ministris omnibus imminentis*, *gravitas*: *Denn es müssen sich die Befehlshaber fürchten / daß / sobald sie am geringsten fehlen / den Hals hergeben müssen*. *Ja so bald jemand vom Türckischen Kayser zum Tode verdammet / kan das Decret nicht wieder geändert oder wiederruffen werden / er habe gleich Ursache oder nicht*. Imò, si *cujuspiam virtus adhuc usui esse posse puratur*, *poenæ non quidem planè eximitur*, *sed reservatur*; *interim verò magnis*, *qui tanquam infulæ in futurum ingeruntur sacrificium*, *honoribus cumulatur*, *inque admistracione eorum causa quæritur*, *quò ille vel vi*, *vel clam neci dari possit*; quod *Acomete Bassa* factum, tradit *Busbeq. Ep. 2. Conf. Richter. Ax. Pol. 130.*

lib. 3. de Rep.

c. 1.

Ep. 1.

VI. *Interna media partim in Alcorano sese offerunt, partim ex moribus & institutis ipsorum tanquam signis, quæ latentem in corpore intemperiem ostendunt, cognoscuntur. In Alcorano Mahomedes, cum ipse regnum concupisceret, in tanta vero & quæ ex tam multis gentibus confluerat, multitudine obtineri posse desperaret; ferocem populum metu numinis mitigare, sibi que hoc modo imperium stabilire decrevit. Itaque cum in præcedentibus sæpius (Numæ Pompilii, qui congressus cum Dea Egeria fingebat, exemplo) Alcoranum suum à Deo compositum, & ad se per Gabrielem missum jurejurando sanctè, si Dîs placet, (ne Mose, sanè divino Viro, minor videretur) affirmâisset; tandem illos, qui in odio Principis constituti moriantur, beatitudinem unquam visuros negavit. Quâ lege quantum Principibus Turcicis attulerit commodum, neminem latere potest. Hinc enim fit, ut Turcæ Imperatoris sui auspiciam mira sequantur religione, & huic se suaq; omnia addicant, nec in aliis gentibus constanter in modestos & legitimos Principes fides sit, quàm illis in atrocem, cui se damnare, tyrannidem: ut loquitur Barcl. Icon. Anim. c. 9. cum quo conferatur Boccacini, Relat. cent. 2. c. 68. Sed de hac re plura in sequentibus.*

c. 22. 49. 50.
51. 54. 66. 82.
add. Forst-
ner. ad An-
nal. 4. Tac. p.
346.

VII. Sequitur alterum medium, quod nempe *rudes animos, ne ulla scientiarum humanitate mitigent, Mahumedes lege cavet. Sciebat enim literas haud exiguum ad libertatem momentum afferre; simulque verebatur. ne fraudes ipsius & fallaciæ, Principumque suæ religioni addictorum vitia patescere, vulgusque hoc modo ad libertatem stimulari possit. Adhæc sciebat, ejusmodi imperio, quale animo destinabat, nil minus convenire, quàm literarum studia, nec diu in uno morari imperio literas & tyrannidem. Quam inimica enim sit Tyrannis literis, ostendit Dionysius major, Siciliae Tyrannus, qui Platonem, aliquantò liberius vitia ipsius corrigentem, venundari jussit. Huc etiam respexit Corn. Tacit. in Agricola, cum ait; à Tyrannis expulsos Sipientiæ Professores*

Corn. Nep. in
Dion. c. 2.

res, omnemq; bonam artem in exilium actum, ne quid usquam honestum occurreret. Hæc sufficient de illis, quæ ad dominatum facientia cum Religione hominibus istis imbibenda traduntur. e, 2.

VIII. Sequuntur Arcana alia, quæ ex moribus & quotidiana experientia cognoscuntur. Quorum primum est, *contemptus nobilitatis*. Cum enim Tyranni hoc imprimis agant, ne nobilitatis magna sit autoritas aut potestas; Porta etiam Ottomannica hanc regulam probè observat. *Turcæ n. neminem suorum quidem nisi ex se pendunt: sola domo Ottomannica excepta, quæ suis censetur natalibus. Adeoq; in regno Turcarum & 72. add. jacet nobilitas, ut puellas à summis Satrapis originem ducentes, Leunclav. p. aut etiam Regium genus existentes. Subulco aut Opilioni desponsas videre liceat. Suos ibi quisque natales, suam fortunam, quam fingat pro arbitrio, in manu habet. Qui rerum primas à Principe tenent, sunt pastorum aut bubulcorum filii; eoq; plus sibi tribuunt, quo minus majoribus aut natalium fortuna debent. Contra à præcipuis honoribus arcent veteres illas stirpes, illorum militum nepotes, à quibus Ottomannica domus id ipsum cum imperio olim accepit, ut jam ingrata esse posset, ut loquitur Barclajus in Icone anim. cap. 9. Hic nullæ sunt dignitates hæreditariæ; Principes nulli; nulla Nobilitas, præter milites Prætorianos &c. Vide quæ hac de re differit Pecquetus Eques ad Henricum IV. Gallia Regem apud Aubigne. tom. 2. Hist. l. 2. c. 2. Ad datur Boterus Relat. Univ. P. 2. l. 2. p. 50.* Busbeq. Ep. 1. L. T. p. m. 29. & 72. add. Leunclav. p. 28.

IX. Secundum Arcanum, quo utuntur Imperatores Turcici ad conservandam & stabiliendam dominationem, est *Bellum ex Bello serere*. Ἔστι γὰρ πολεμοποιός ὁ Τύραννος, ὅπως ἀρχοί τε ὧσιν (cives) καὶ ἡγεμόνες ἐν χρεῖα διαπελώσιν ὄντες. Scit enim multitudinem, si deest usus, civitati oneri esse. Multa vero hac re præter illa, quæ à Philosopho innuuntur, commoda assequitur: quorum præcipua, i. quod sapius militem legendo, ne nimia hominum multitudo sibi molesta sit, efficit, 2. quod subditos per militarem disciplinam ad severius imperium Arist. 5. Pol. 11. Liv. l. c. 56.

Hist. Flor. l. 1.
I. apud Pic-
cartū ad Pol.
Arist. p. m. 82

rium tolerandum assuefacit. Hoc pacto facillimè domina-
tum stabiliri posse, scivit & Cosmus Medicæus; qui cives
suos, quò faciliùs Tyrannidem adipisceretur, Lucensium
bellis implicuit; quemadmodum tradit *Job. Michael Brutus*.
Idem fecere multi alii, ut potentiam, quam adepti erant,
firmarent. Inter quos Dionysius major Siciliae Tyrannus,
qui *grave etiam regno suoratus*, copias in Italiam trajecit.
Sicut enim *magni Imperatores, cum male parere militem vi-*
dent, aliquo labore compescunt & expeditionibus detinent; ut
ait Seneca; Sic illi, quorum subditi severius regimen passu-
ri non videntur, bello eos implicitos tenent.

X. Deinde *subditis arma adimunt*, talesq; illis Præfectos
imponunt, quorum salus ipsorum salute nititur. Quo id
consequuntur, ut imbellis ac inermis multitudo, etiam si cum
maximè velit, tamen & propter virium defectum, & propter
impositos *Timarios* (de quibus plura in sequentibus dicemus)
nil tentare possit. Eadem fini Romani nunquam devictis
arma concedere, quamvis summo in discrimine constitutis,
voluere. Vid. *Livinus l. d. 2. c. 30.* Ne scilicet Rebellionis oc-
casionem possent arripere. Consimili modo Philistæi Israe-
litas & armis & fabris spoliavere. Magnum enim servitutis
argumentum est, si nec arma nec fundos possidere conces-
sum est.

XI. Tertio *omnia creduntur illorum fidei qui Christia-*
nam Religionem abnegarunt. Videtur enim *secreto quodam*
ad hujus conservationem regni consilio fieri, quod ingentes præ-
fectura, tribunalia, dignitates, non aliis permittuntur, quam
iis qui ex Christianis parentibus nati sunt. Adeoque in precio est
de Turcica stirpe non nasci, ut summa in Imperio Turcico muner-
qua ex Christianis parentibus geniti tenent, in eorum liberos
nunquam transeant. Atque ista consuetudo Imperatori, cui
conservatio potestatis dominicæ curæ est, haud parvo usui
esse videtur. Nam dum sempre novos homines summis ho-
noribus ornat, nec ullam generis rationem habet, omnem
de

Barclaius I-
con. anim. l.
c. adde Hono-
rium Relat.
de urbe Con-
stant. Pag. 111.

de genere & nobilitate gloriandi ansam præcidit. Non admodum diverso modo Gallie Reges non ex procerum præcipuis, sed ex infima nobilitate Connestabilem creant: ut tradit Bodinus 6. de rep. 5.

XII. Ad quartum nunc arcanum *Æmulorum* nempe *extirpationem*, pergimus. Quod etiam omnibus seculis ab illis, qui Tyrannicam potentiam affectarunt, inter præcipuas artes est habitum. Sic *Abimelech* ipse spurius, LXIX. *Ind. 9. vers. 5.* filios *Gideonis*, legitimo thoro natos fratres suos, uno die interfecit. Et *Dionysius Iunior* postquam cognatos fratrum sustulisset, etiam ipsos interfecit: ut, quibus consortium regni debebat, ne spiritus quidem consortium relinqueret. Imo quarundam gentium Regibus à parricidio regnum suum inchoare solenne fuit. De successoribus *Alexandri M.* ita scribit *Plutarchus*: *Fratrū cades, ut postulata Geometra sumunt, sic concedebantur habebanturque commune quoddam postulatum & regium ad securitatem.* Idem de *Parthis* refert *Justinus*. Id igitur & apud *Turcos* obtinet. Hic enim nil miserius est Imperatorum *In Demetrio hand longè ab initio.* filiis, è quibus si quis Patri successit, reliquos inevitabilis mortis *Just. l. 4. 2. c. 14.* necessitas manet. Nam neque *Turca* imperii æmulos ferunt, nec per milites *Prætorianos* omnino ferre possunt; qui, si quis fortè fratrum sit aut agnatorum, præter eum qui regnat, congiariorum petendorum nullum finem faciunt; si recusantur, statim audire cogitur, SALVUS SIT FRATER, FRATREM DEUS NOBIS SERVET. Imò interdum ne filiis quidem, in quibus altior est indoles, parcunt; metuentes, ne illi regnum rapere, quam expectare, malint. Hanc ob causam *Sulimannus Mustapham*, fortissimum juvenem, quoniam nimium sibi *Janizeros* devinxerat, ad se evocatum interfecit. Idem favor *Bajazetem* perdidit. Dominandi enim libido Gigantea magnitudine ceteros affectus omnes prosternit, & proterit: unde evenit, ut patribus filii timeantur, & filii habere, quàm expectare imperium, malint; & frequentissima fratrum odia atq; certamina in historia leguntur; ut alicubi loquitur il-

lu-

Iulstris *Forstnerus*. Eodem, quo ante dictum, modo Tibe-
ad Ann. Tac. rius a) Agrippam Augusti nepotem interfecit. Non enim
cit. 15. 53. sperabat, æquo animo se regnantem aspecturum Agrippam.
 a) *Tac. 1.* Alexander M. etiam, cum regnum auspicaretur *amulum im-*
An. 6. perii, *Caranum fratrem, ex noverca susceptum, interfici b) cu-*
ravit. & in Asiam c) proficiscens ad bellum Persicum omnes nover-
 b) *Iustin. lib.* cae suae cognatos, quos Philippus in excelsiorem dignitatis locum
11. cap. 2. provebens Imperio praefecerat, interfecit; Sed nec suis, qui apti
 c) *Idem l. e-* regno videbantur, pepercit, ne qua materia seditionis, pro-
od. cap. 5. culse agente, in Macedonia remaneret. Certa enim, sed ty-
2. 33. rannica, est ratio, quæ id primum spectare debere Principes
 statuit, ut ab æmulis sibi caveant, ut ait *Boccalinus*. Mitius
 sanè securitati suæ consulunt Abyssini Principes, qui fratres
 & agnatos suos (si fides est habenda *Alvarezio*) in Anga Mon-
Relat. cent. te altissimo & arce munitissima conclusos, egregiis discipli-
2. 33. nis imbui curant. Nec tam plane crudeles Caliphæ, & ipsi
 Mahometani, Regios liberos splendido intra Regiam palatio
 clausos catenisque vinctos genio indulgere permittebant.
 Fatendum est tamen, hodie Imperatores Turcicos in fratres
 liberosque Regios aliquanto miriori esse ingenio: siquidem
 A.C. 16. 17. *ACOMATUS* obiens *MUSTAVAM* fratrem
 successorem reliquit. Et Mustavæ successit *OSMANIS*, Mu-
 staphæ ad tempus successi, frater *AMURATHES IV.* post quem
 regnavit *IBRAHIMUS*, utriusque, Amurathis nempe & Os-
 manis, frater. Nec qui hodie regnat *MAHOMEDES IV.* in
 fratrem tam savus fuisset, nisi militaris ipsum seditio irrita-
 fet: namque cum ante dictus Imperatoris frater hoc anno à
 Spahis & Jannizaris (si fides est habenda relationibus) Sulta-
 nus proclamaretur jussu, Imperatoris *cunuchorum*, quos *Tur-*
ca in deliciis habent, ministerio strangulatus est. Istud verò
 mirandum, quod interdum crudele istud facinus admini-
 strantes lacrymas fundere, illosque, quos antea neci dare
 sustinuerunt, deflere potuerunt; testantes, se non ex odio
 aut livore, sed pro salute imperii ista facere; quasi vero scele-
 ribus rite conservari imperium possit.

XIII. Sextum obtinendi dominatus medium superest, *subditorum* nempe *depauperatio* Vetus & à *Barclajo* quoque & *Macchiavello* approbata opinio est, à nullis in rep. magis, quàm à ditioribus, metuendum, qui irrequietos & majorum honorum cupidos spiritus fovent; adeoque nimias opes in regno subditis non permittendas, sed variis oneribus restringendas esse, cum miseriæ tolerantur, felicitate vero corrumpamur. Verum, ut rectè Aristoteles *τὸν πενήτην ποιεῖν τὰς δεχομένης, τυραννικόν.* *5. Pol. II. Ed. Heins.* Exemplo denuo est *Dionysius Siculus*, qui ita subditos suos exhaustit, ut intra V. Annos nil ipsis reliquum fuerit. Idem, sed aliquanto mitius, perfecit *Cypselus*. *Corinthiorum Tyrannus*: namque intra decennium suorum opes sibi attribuit. Et sanè ad civitatem quandam ferociorem sibi vel subjiciendam vel devinciendam nil aptius est, quàm si opes subditorum Princeps in suam potestatem redigat. Cavebit tamen, si sapit, ne hoc iis artibus fiat, quæ subditorum odio principem exponunt; ut sunt nimix exactiones & deprædationes. Recte enim vulgus assimilatur camelo, qui pondus æquo gravius si accipit, vel dejicit illud, vel corrumpit, ut domino nullum usum præstare possit. *Spreng. in Bono Princ. Ax. stat. 9.* Et quot, bone Deus, populos propter immodicas exactiones rectoribus suis recalcitrasse legimus! Sed ne nimis à proposito aberrem, redeo ad id, unde aberravit oratio; ostensurus, quonam modo hæc subditorum depauperatio apud *Turcas* perpetretur. Fit verò illa variis modis; in quibus non ultimum locum *Polygamia* obtinet. Nempe *Mahumedes*, cum enervationem subditorum imperio, quod sibi proposuerat, necessariam esse perspiceret: frequentem verò tributorum exactionum odium Principi parere, non ignoraret: alia ratione rem aggredi, modumque excogitare decrevit, quo non minus subditi, ac si magnis tributis vexarentur, & pauperes fierent, & Principi prodesse. Animadvertit autem, per plures hæreditatum divisiones tum quàm celerrimè depauperari subditos, tum per multitudinem

Alcor. sur. 4.

v. Forstn. ad

Ann. 4. Tac.

p. 344. & seq.

ex Boccan.

Relat. l. 2. c. 6.

8. p. m. 414.

Vid. Tacit.

Ann. 3. c. 52.

53. 54.

Boxh. Chron

p. 71.

Barcl. in Ic.

An. l. c.

Bodin. 2. de

Rep. c. 2.

nem hominum multa in bellis præstari posse. Statuit itaque cuique plures uxores ducendi, & quot posset, concubinas habendi potestatem permittere; tum & omne discrimen inter spurios & legitimos tollere. Qua promiscua conjugiorum licentia & uxorum multitudine adeò miseros populos suos faciunt Imperatores Turcici, ut omni nervo destituti, ferociæ omnis obliviscantur. De quo plura deinceps. Eodem, ut videtur, instituto Tiberius Cæsar luxum sui temporis coerceri, legemque sumtuarium ab Ædilibus revocari volebat. Specioso quidem prætextu, *indecorum esse attrectare, quod non obtineretur*: Itaque *omitterent potius prævalida & adulta vitia, quam hoc assequerentur, ut palam fieret, quibus vitis impares essent*. Sed aliud suberat. Metuebat enim Tiberius, ne, quod alias luxu periret, contra ipsum insumeretur. Nec valde absimili ratione Imperator Maximilianus II. Nobilium in Belgio opes nimias attrivit; dum eorum præcipuos ad Principum aut Comitum dignitatem evexit, titulis, non facultatibus; auctos. Quo facto non parum attenuata est eorum potentia, & *facilior Austriacis via ad opprimendum libertatem aperta*. Sed ad Turcos redeo, qui ea quidem arte, quam diximus, potissimum adversus suos utuntur, alio autem modo cum illis agunt, qui Mahometicæ Religioni addicti non sunt. Hoc enim non tantum tributis onerant, sed & deprædantur, planeque exhauriunt.

XIV. Ex dictis facilè apparet, quænam sit *Forma Imperii Ottomannici*, absolute Dominica scilicet, sive Herilis; hoc est, Monarchia, in qua Princeps sibi subjectis eo modo, quo paterfamilias servis, imperat. Nam ut servi nil proprium habent, sed sua omnia dominorum esse coguntur agnoscere; sic apud Turcos nemo, quamvis summo in honoris gradu constitutus, aliquid sibi jure possessionis assignare potest. Agros enim suos, munia, & opes precario possident, ad Principis nutum non illas tantum, sed & honores cum opibus, imo provinciam, relicturi. Namque ipsorum legibus ca-
veri

veri ajunt, ne quis omnino ullius prædii Dominum se dicat. Imo, mortuo patrefamilias divite, omnia ejus bona ita in manu tyranni sunt, ut uxoribus, nepotibus, & liberis, quantumlibet, dare possit, teste *Reusnero*. Quam calamitatem præcipue hæredes eorum experiuntur, qui publicis & majoribus officiis functi fuerunt: more non Turcis solum, sed omnibus propemodum Asiæ Principibus hodiè solenni. Deinde sicut servi subjectos se domino fateri tenentur; ita hic, teste *Besoldo*, *summus honoris titulus est, infimum seu Imperatoris mancipium appellari*. Hinc Poncetus à Birago Gallia Cancellario ad Henricum IV. ductus asserere haud est veritus; se longis peregrinationibus omnium Regum aulas vidisse, unum tamen reipsa verum Regem reperisse, Turcarum Sultanum, qui solus in sua potestate habeat *Honorem, Vitam, & Facultates* subditorum &c.

Orat. Turc.
Vol. 1. p. 163.

Synops. Pol. l.
1. p. 1. c. 4 n. 15.
Ambigne in
Hist. Gall. l. c.

XV. Hæc de fine dominantis. Nunc de ipsius Reip. s. Imperii Ottomannici fine nobis dicendum est. Hinc voluptatem esse, dicere non ausim. Nam propter finem omnia in rep. aliqua fiunt, quæ sunt alicujus momenti, ut clarum est ex Aristotele I. Ethic. Nicom. cap. 1. At cuncta Imperii Turcici instituta per se & primariò adversantur voluptatibus; ut è sequentibus apparebit.

XVI. *Divitias & opes Turcæ tantum appetunt, quantum ulla Gens mortalium; adeò ut nullum facinus, si merces sceleri detur, subterfugiant*. Quin & Principes Purpuratorum justitiam venalem habere, aut munera licitari non erubescunt. Unicum tantum exemplum, quod affert *Barclajus*, afferam. *Aleensem Præfecturam emerat à gratiosis in nulla hominibus quidam ex illarum dignitatum Candidatis*. Hoc in Præfecturam misso, nlius majoribus donis sollicitat fidem eorundem optimatum, jubeturq; priori succedere, qui Provinciam vix dum libaverat. Is, hoc nuncio celeriter amicorum fide perlato, vehementer improvisa clade percussus est; igitur amicorum quib; aderant, consilium advocat, apud illos amissas opes deflet, perfi-

Boterusl. d.
Gothofr. in
Arch. Cosm.

in Icõ. Anim.
l. d.

diamq; aula queritur, tam fœde venalem, Incertus consilii erat, pareretne revocantibus Constantinopolim literis, an successori armatam manum objiceret; audacia veniam à Byzantinis Proceribus novis muneribus impetraturus, aut saltem publico suo decori, simulque domesticæ rei, superstes non futurus. Tandem à fidissimo amicorum monitus, veneno successorem, extortis prius literis officii sui testibus, circumvenit. Hoc sevo, & in flagitium mirabili astu (subjicit Barclajus) non plus studium venenorum suspexerit, quam corruptos in ea gente mores, venundatos magistratibus populos, fas æquumq; infra pecuniam positum, & similia ultimæ tyrannidis mala. Attamen divitiæ quomodo finis Imperii hujus constitui possint, non video. Nil enim fundamentalium legum huc tendere videtur.

XVII. Haud omninò alienum à proposito nostro videtur fore, si hac occasione paucis disquiramus, quousq; in bene constituta aliqua Rep. cives ditescere consultum sit? Omnium divitiarum natura sic comparata est, ut aut usui & necessitati humanae, aut decori & elegantia, aut denique deliciis & luxuria inserviant. Quæ usui & necessitati inserviunt, iis non posse carere bene constitutam Remp. facile apparet. Opibus enim necessariis qui carent, verè miseri sunt appellandi; utut contrarium Stoicorum turba asserere conetur: siquidem δει ἔ μόνον πρὸς τὰς πολιτικὰς χεῖρας ἰστέχην ἰκανὴν τὴν κτῆσιν, ἀλλὰ ἢ πρὸς τὰς ἔξωθεν κινδύνας. Præterea opes sunt media ad vitam benè agendam. Hæ igitur cuilibet homini, & omni quidem studio, quoad honeste licet, sunt acquirendæ. Ideoq; & majores nostri, osores alioqui pecuniarum, eas haud neglexerunt; siquidem, ut ait Cæsar, mercatoribus ad eos erat aditus eò magis, ut quæ bella ceperant, quibus venderent haberent, quam quod ullam rem ad se importari desiderarent. Quæ verò ad elegantiam faciunt opes, iis si quis caret, non quidem statim est miser, attamen ex omni parte felix esse non potest. Quocircà ab iis, qui digniore fortunæ loco positi sunt, aut amplo aliquo munere fungun-
tur

Arist. 2. Pol.
5.

Piccart. ad
Arist. l.c.

l. 4. de. Bell.
Gall.

tur, magis requiruntur, quàm ab iis, qui minori honoris gradu gaudent. Hinc apud Romanos ad Senatoriam dignitatem non nisi divites admissos, & apud Græcos locupletiores magis idoneos ad summos magistratus judicatos legimus. Neque frustra Tiberius Propertio Celeri veniam ordinis ob paupertatem petenti H. S. decies largitus est; & aliàs census Senatorum jovit; ne scilicet in honore constituti iniquos corradendi modos invenirent. Paupertas enim malitiæ alimenta ministrat. Quod & Cicero innuit ad P. Sextium sic scribens: *Nunc me scito tantum habere æris alieni, ut cupiam conjurare, si quisquam recipiat*, Superfluis verò, & soli luxui dicatis divitiis corradendis ut nimis homines studeant, minime consultum est. Catenæ enim sunt, quibus hominum animus vincitur, & locus squalentissimus, ex quo tanquam ex carcere mens hominum ad majora aspirare nequit. Vitia ex divitiis ejusmodi promanantia eleganter sub persona Pluti expressit Lucianus: *ἐπειδάν τις ἀναπετάσας τὴν θυραν εἰσδέχεται με, συμπαισίσχεται μετ' ἐμῶ λαθῶν, ὁ τύφος, καὶ ἡ ἀνοία, καὶ ἡ μεγαλαυχία, καὶ ἡ μαλακία, καὶ ὕβρις, καὶ ἀπάτη, καὶ ἄλλα ἄτῶ μύρια.* Quorum unumquodque ad magnam evertendam remp. sufficere potest. His accedit luxus: nam, ut ait Poëta:

Turpi fregerunt secula luxu

Divitiæ molles.

Hic debellare potuit M. illum Alexandrum Asiæ, & Hannibalem Romanorum victores. Hinc quoque est, quod Tacitus Gallos, Flori, Cæsaris, & aliorum scriptis ob fortitudinem celebratos, DITES & IMBELLES appellat. Et apud eundem Silius Hæduos, gentem Gallicam, *quanto pecunia dices, & voluptatibus opulentos, tanto magis imbellos vocat*: Ex quibus clarissimè apparet, *divitias effœminata cujusdam servitutis causas esse*; quemadmodum loquitur Boccalinus *Relat. ex Parn. cent. 1. relat. 67.*

Tac. 1. Ann. cap. 75. lb. 2. An. c. 37

Ep. 6. l. 5. ad Fam.

in Timone pag. 77. edit. Salmur. an. 1619.

11. Ann. c. 18 & 3. An. c. 46

B;

XVIII.

XVIII. Verùm ne nimium his immoremur, ad tertium Rerump. finem, *virtutem* nempe, pergimus: quam Turcos non quærere, ex omnibus illorum actionibus aperte satis constat. Restat igitur, ut finis Imperii Turcici fit *Bellica Potentia*; cujus *caeca cupidine Mahomedes inductus divina humanaq; jura neglexit*, ut ait ante dictus *Boccalinus*. Ad hanc omnia ipsorum publica instituta tendere, ex sequentibus satis patebit. Quin & signa quædam atq; insignia hoc innuere, quidam volunt: *Denn es haben die Türckischen Käyser vor dieser Zeit / thun es auch noch bisweilen / (verba sunt Wallichii) an ihrem weissen Bund oder Sulbandt drey schwarze Keyser = Feder zu tragen pflegen: Welche dahin außgedeutet werden / daß es solte seyn und bedeuten einen Herren und Bescherer Asia, Africa und Europa. Idem nonnulli probari posse contendunt ex insigniis Turcicis, nempe crescentis lunæ cornibus terrestri globo impositis. Hunc finem nemo meliùs indicavit Solimanno Imperatore, qui Viennæ obsessis nunciari jussit: Quando unus sit DEus, qui cœlestia moderetur, æquum esse unum caput unumq; Principem Orbi Terrarum imperare; eum se esse velle, vitamque acerbam habiturum, quoad illos universamq; Christianorum nationem armis subegerit, suaq; ditioni parere coëgerit. Simili fere modo, ac Alexander M. nec mundum duobus solibus posse regi, nec duo summa regna salvo statu terrarum posse habere, Dario nunciari jussit.*

*in Compar.
Anich. p. 285*

*V. Curt. l. 4.
c. 9. & ibi
Freinohem
in Comm.*

XIX. *Media* verò, quibus ad hunc finem obtinendum Turca utitur, dupliciter considerari possunt. Vel enim ad *acquisitionem* potentia, vel ad *conservationem* ejusdem faciunt. Quæ ad *acquisitionem* faciunt, rursus videntur esse vel *interna* vel *externa*. *Externa* sunt *Exercitus & Res ad bellum pertinentes*. In *Exercitu* verò consideranda sunt maximè *multitudo & robur*. *Multitudinem* quod attinet, ea tanta est, ut nemo hodiernorum Europæ Principum multitudine hominum illi par sit. Nam perpetuo, pacis æquæ ac belli tempore, CC millia militum alit; nempe CXX millia Spahorum

rūm five Equitum; & LXXX millia Janizarorum five pedī-
tum. Belli verò tempore sæpe multo plures sustentat. So-
limannus enim uno tempore CCCC millium Exercitu Hun-
gariam inundabat. Idem cum Rhodum CCC millibus mi-
litum oppugnaret, CC millia Adrianopolim mittebat. At-
que hoc ipso sæculo cum Osmanes II, bellum Polonis intulif-
set, anno ∞ l̄cxxi, in castris ad Chotinum CCCC, imò
juxta quosdam l̄ccc millia militum numerasse dicitur: ca-
lonibus tamen & lixis, ut videtur, annumeratis. Quod fieri
posse mirum non est; tenet enim Turca tam vastas regiones,
quantas hodiè nullus Europæorum Principum: crebrisque
militum delectibus totas, etiam necessariis hominibus spo-
liat. Ad hæc cum Mahomedes majestatis maximum ful-
crum militiæque adjumentum firmissimum multitudinem
hominum esse sciret, lege permisit, ut unicuique quot vellet
uxores (quamquam sunt, qui Alcorano non nisi IV, traditio-
ne autem VII permitti, ajunt:) & quot posset concubinas
habere liceret. Cujus legis nulla alia est ratio, quam ut
Princeps eò numerosiorem exercitum, eò majores copias
habere possit. Verisimile enim est ex multis mulieribus
multos generali liberos. Notum est, quod de viro quodam
Constantinopolitano, (sartorem illum fuisse arbitror,) re-
fertur; qui aliquando uno eodemque tempore triginta filios
ex se natos Imperatori Solimanno ostendit. Alius una no-
cte octo filiorum pater factus est. Fuit & qui moriens octua-
ginta filios reliquit. Præterea idem Mahumetes sanxit, ut
hæreditas æqualiter inter spurios & ingenuos divideretur;
eamq; ob causam Turcæ non minus honoris habent ex con-
cubina, quàm ex legitima uxore natis. Quæ igitur familia
tam dives, quæ non hæreditatis in tot partis divisione ad pau-
periem redigatur? Ideoque quamplurimos ut castra se-
quantur, & precario pane apud Imperatorem fruuntur, ege-
stas cogit. De quo jam aliquid in præcedentibus. Hic, cum
mentio Polygamiæ eo nos deducat, haud inconueniens erit,
si de

si de Matrimoniali apud Turcos societate in transitu paucula
notemus. Cum enim ante dixerimus, unicuique quot vel-
let uxores & quot posset concubinas habendi potestatem
esse; quænam uxorum, & quænam pellicum nomine veni-
ant, disquirendum. Hac de re sic *Busbeq. Ep. 3. L. T. p. m.*
136. Uxor justa à concubina sola dote dignoscitur. Servarum
(pellicum & concubinarum) nulla dos est. Has enim aut sibi
emunt, aut bello acquirunt: quarum si tædet, quominus in forum
productas vendant nil impedit. Nempe cum aliquis ad libe-
ram animum adjecit, adit parentes, vel illos qui arctissimo
cum illa sanguinis vinculo juncti sunt, ab his illam in uxorem
petit, & si impetrat, dos dicitur, tanta quantam opes paren-
tum permittunt: tunc in sponsi domum ducitur, itaq; abditur,
ut vix Soli, nedum mari cuidam, aspicienda permittatur. In
publicum si prodeundum est, ita tectas, ita pannis involu-
tas emittunt, ut spectra atque larvæ occurrentibus videantur,
& à maritis quoque suis vix agnosci queant. Namque con-
cepta est apud illos opinio, (quoniam unusquisque alterum
ex suo judicat animo) nullam mulierem, quam vel mini-
mum forma & ætas commendet, à viro sine potiundi libidi-
ne, & proinde sine mentis labe posse conspici. Ex his si plu-
res vir uxores habet, una est, cæteras vel dotis magnitudine,
vel temporis prærogativa, vel alia de causa præcedens; quæ
tanquam materfamilias in cæteras mulieres, præprimis verò
in pellices, totamque mariti domum imperium quoddam
obtinet, cuique una nox singulis hebdomatibus, diei nempe
Veneris apud eos festi, reservatur. Cum enim cæteræ no-
ctes in arbitrio viri sint, illisque cum quacunque velit pellice
concumbere (quod uxor prius à marito significatum forte a-
liquanto ægrius, quam serva pareat, jubet) liceat; hac ta-
men nocte sine querela defraudari uxor nequit. Pellices li-
beris susceptis, liberæ fiunt; quo instituto Roxolana, post
Sulimani uxor, ad suum usum converso, cum ei adhuc serva fi-
lium peperisset, eoque libertatem consecuta & sui juris facta esset;

Busb. l. d.

Su-

*Sulimanno amore flagranti amplius morigerari recusabat, nisi
injuste uxoris locum duceretur.* Interdum tamen, si scilicet
mulieres eminenti dignitate parentem habent, aut dotem
graviolem attulerunt, viri promittunt, se nullos habituros
pellices, sed illis solis contentos fore: At tum vicissim, si viri
sunt nobiliores, mulieres à nemine virilis sexus, exceptis so-
lo parente & marito, videri debent. Uxorum si tædet, di-
vortium faciunt, dimissæque dotem reddunt, nisi probrum
aliquod discidii causam dedit. Mulieres etiam à viris diverte-
re possunt, sed ægrius aliquanto. Inter causas vero, quibus
ideis permissam, præcipuæ hæ sunt: 1. *Si mariti debitis eas
alimentis fraudent;* 2. *Si præter naturæ præscriptum eis abuti
conentur.* Quod posterius si fit, ad iudicem profectæ apud
maritum se diutius non posse manere testantur: iudice cau-
sam rogante, nil respondent, sed *exutum pede talceum inver-
tunt*, quod abominandæ Veneris iudici indicium est. Viris
causas divortii comminisci facile est, quarum præcipua, *quod
uxor illis amplius non placeat.* Cum pellicibus alio modo a-
gunt: illarum enim si satietas cepit, nil impedit quo minus
in forum productas vendant. Modus etiam custodiendi
mulieres hic non prætereundus est: quas ut jam ante dictum,
non permittunt maribus; (nam maculari statim pudicitiam
fœminæ à viro visæ existimant?) nec etiam aliis fœminis;
inconstans enim istud hominum genus & facile corruptibi-
le: sed medium quoddam inter fœmineum atque masculi-
num sexum eligunt, quod nec amoribus quibus fœminæ capi
solent duceretur, nec ipsum illas corrumpere posset. Hi verò
homines sunt Eunuchii; quorum temperamentum, quod an-
te calidius & masculinum erat, in magis frigidum atque fœ-
mineum ablatis testibus mutatum fuit. Cum verò nec ita
pudori fœminarum satis consultum videretur (quod etiam si
fœminis instrumenta ablata, ne imprægnarentur fœminæ,
impedirent; libidinose tamen illas tangendi organon reli-
ctum esset: atque vel sic pudicitia illorum corrumpi posset;)

C

huic

Ex. Alex.
Sun. 4.

Vid. Hack-
span. in
Tract. de Fi-
de & Leg.
Muhamme-
dis p. 97. &
seq.

huic quoque metui occurrendum statuerunt. Itaque miseros homines non tantum testibus, sed etiam cole privandos judicarunt; referentibus *Busbequio l. d. Scaligero Exerc. 104. 8.* & ex illis *Nobiliss. & Exc. Dn. D. Mæbio in Med. Physiol. c. 19. p. 476.* Non etiam hic prætereundum, quod Alcoranus quasdam personas sibi jungi vetet; *Matres scilicet Filias, Sorores, harumque filias, itemque Amittas, Socrus, Privignas, ut & Nutrices, Sororesque ex lactatione;* cum quibus omnibus matrimonium contrahere non licet. Dispensatio etiam hic nulla locum habet.

XX. Ad robur exercitus maximè facit *Disciplina militaris*, firmissimum illud imperii stabilimentum. Hæc enim ut in aliis rebus, ita in bello pernecessaria est. Quæ & hic accuratissimè servatur, adeò ut cum alibi exercitus propter multitudinem duci nequeant, hic ipsa multitudo ad bonum ordinem adjumento esse videatur. Milites enim isti minima manus significatione reguntur promptèque obediunt imperatoribus; ita quidem ut nullum, quamvis manifestum, vitæ discrimen refugiant, quoniam *horam mortis unicuique scriptam in facie existimant.* Præterea sine tumultu & clamore in castris vagantur; & quamvis ibi maxima sit frequentia, silentium tamen perpetuum & stupendum observant. Imò tanta severitate justitiam exercent; ut ea veteres quoque Romanos & Græcos hac parte superasse videantur. Nam minima etiam delicta, e. g. ovorum & caseorum raptus, capite puniuntur. Corycæi enim impositi transeunt totum exercitum, & observant, an quis vineam aut agrum cujusquam læserit an pomum sine licentia domini decerpserit &c. In hujusmodi enim delicta capitali supplicio animadvertitur, teste *Melch. Seidlizio in Itinerario Terra Sanctæ.* Pertinet huc quod alicubi refert *Simon Vignosius Ligur.* Cum *Chios*, inquit, à *Turcis* caperetur, interdictum est militibus, ne quis oppidanorum bona diriperet. *Basse* illius expeditionis *Præfecti* filius adolescens, autoritati & affectui paterno confidens, in vineam quandam vicinans

vicinam conscendit, & uvas aliquot collectas secum in castra intulit. Re ad Patrem delata, jussu illius filius comprehenditur, exutis vestimentis, uvis ad collum appensis, per urbem palam circumducitur, virgisq; atrocissimè caditur. Vide Richterum Axiom. Polit. 429. Haud verò prætereundum videtur, multum ad disciplinæ militaris rigidam observationem facere Turcici Imperii amplitudinem; quâ fit, ut illi qui delinqvunt, non tam facilè tutam salutem quærere queunt, quàm in nostris regionibus, ubi, qui justam flagitiorum poenam metuit, ad alium perfugæ titulo se tutum præstiturus abit. Præterea finitimi Principes animo in Turcas alieno sunt, ut inde profugi parvam opem expectare possint. Itaque non, quemadmodum in nostris castris, cuncta duellis & privatis dimicationibus personant, sed omnia quieta ibi & pacata sunt: rarissimaque apud illas homicidia: sed cum injuria afficiuntur, pugnis, aut ad summum fuste, animi sui motus explent, nunquam tamen ad arma descendunt. Bassæque cum primum odorantur mortis suæ sententiam stabilitam esse, posthabito omni fugæ remedio seipsum supplicio destinato offerunt. Addo, etiam maximum hic adjumentum præbere insignem illam *Busbequio* celebratam in accipienda castigatione patientiam in suris, in solis, in natibus; quibus quamvis ultra centum interdum plagas excipere coguntur, quod fit baculo corneo, adeò ut sæpius aliquot confringantur baculi; tamen adire illum, cujus jussu cæsi sunt, & manum deosculari gratiasque agere, (non secus ac apud nos pueri pro castigatione gratum spondere animum & virgam osculis & blandimentis excipere solent) interdum coguntur. Ad hæc opinio inveterata apud ipsos (quam pariter ex Mahometis institutis promanasse censeo) qua à cælo delapsum baculum, quo castigati primum sunt, credunt, eamq; ob causam, non secus ac Romani ancilia sua, sacrum habere eum, non dubitant; immo hoc pacto in martyrum consortium recipi se existimant. Nam eas quas fustis contigerit partes postea

immunes fore ab expiatrix flammæ sævitia dicunt; com-
mento haud absimili illi quo Pontificii flagellatores purga-
torii vehementiam flagrorum copia mitigare cogitant.
1, d. Confer *Honorium & Busbequium*. Cui stoliditati gemina
est rusticorum in Livonia gloriatio, qui eò majore honore
se dignos existimant, quò sæpius à magistratu, & nobilibus,
plagis cæsi sunt. Undè tanquam eò majori experientia in-
structi senes, si juvenes aliquid facere aut dicere contra ac il-
li oportere existimant, videntur, simulque se excusare aut
defendere incipiunt; regerunt: *Tunc me peritior es, qui to-
ties à magistrato vapulatus sum?* Ut narrat *Olearius* in *seiner
Persianischen Reise-Beschreibung* / haud longè ab initio.

XXI. Præcipuum verò robur in militia Turcica est *co-
hors militum Prætorianorum*, quos *Gianizaros*, vel *Janizaros*
vocant, qui ita leguntur, educantur, exercentur, & haben-
tur, ut plurimum ad comparandam conservandamque po-
tentiam momenti adferant. *Delectus* accuratissimus est:
Nulli enim milites alii tanta cura leguntur. Modus verò
duplex: Unus, quo ministri principis filios Christianorum
parentum vi ex eorum manibus abreptos, aut tributi loco ex
insulis Græcis aliisque limitaneis provinciis acceptos, ho-
norum & opum spe allecant; Alter quo bello capti, ut Ma-
hometanæ sectæ nomen dent, impelluntur, & sic Principi
offeruntur. Prior verò delectus fit tertio quoque anno, se-
cundum *Gothofredum* in *Archontologia Cosmica*; vel quotan-
nis, ut *Busbequius* in *Exclamatione* tradit. Qui verò legun-
tur? non quivis, sed qui sunt *patria Europæi*. Tot n. bello-
rum usu Turci didicere, Asiaticos ferè molles ac dissolutos
esse, & dum bellum est, animos magis in fuga quam pugna,
(quod & passim ex veteri historia apparet,) habere. *Omnes*
enim *nationes, quæ vicina sunt soli, nimio calore siccattas minus*
habere sanguinis dicunt; ac propterea constantiam ac fiduciam
cominus non habere pugnandi; quia metuunt vulnera, qui se
exiguum sanguinem habere noverunt Contra septentrionales po-
puli

Boterus l. d.
Gothofr. in
Archont.
Cosm. cap. de
Imp. Turc.
Veg. de re
Mil. l. 1. c. 2.
ubi vid. nota
Stevvechii.

puli (& Europæi plerique) inconsultiores quidem, sed largo sanguine redundantes sunt ad bella promptissimi. Quod & veteres & modernæ historiæ fati ostendunt. Causam habet Aristot. Probl, 14. p. m. 922.

XXII. Secundo Corporis dispositionem eodem modo in legendo milite, quo Pythagoras in assumendis discipulis, observant. Sicut enim Pythagoras adolescentes, qui sese ad discendum obtulerant, ἐφυσιογνωμόνῃ; sic & ipsi externam formam ad interna referunt; quod non absurdum esse, testatur Artoteles, cum ait: δοκεῖ μοι ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα συμπαθεῖν ἀλλήλοις, καὶ ἡ τῆς ψυχῆς ἐξὶς ἀλλοιομένη, συναλλοιοῖ τὴν τῆς σώματος μορφήν. Et non tantum in hominibus; sed & in equis & canibus, virtus multis declaratur indicibus. Eliguntur autem pueri. Non enim tantum celerius, sed & perfectius imbibuntur, quæ discuntur à pueris. Et tales, in quibus manifesta virtutis indicia apparent: nempe qui sunt membris teretes agilesque, quique audaces videntur & magnanimi; quæ virtutes in milite præcipue requiruntur.

XXIII. Nunc ad Educationem, bonorum malorumve omnium fontem & originem, totiusque humanæ felicitatis præcipuum fundamentum, pergimus. Quæ sanè hic non negligitur. Cum enim sciant, quam facile sit teneros adhuc animos componere, simulac pueri Constantinopolin perveniunt, ita illos instituunt; ut parentum patriæque, imò & religionis, obliviscantur; itaque teneras mentes vesana superstitione & reverentia in Mahometem imbuunt. Vocantur verò tum temporis *Azamoglani*. Post illi, qui liberaliore sunt facie, aut ingenii majorem indolem præ se ferunt, ipsius Principis aut Bassarum domesticis usibus applicantur. Hi sacris aut civilibus studiis imbuuntur, & suis sub Ephoris sive Agis, accuratissimè custodiuntur, ac variis operibus exercentur; otiumque nulli permissum, neque cuiquam victus gratis exhibetur. Atque hi pueri, præcipue qui in Principis aulam allekti sunt, ipsi pro seminario Ducum & Prin-

Vid. Gell. l. i. c. 9.

Lib. de Physiogn. c. 4.

Veg. lib. d. c. 6.

Id lib. d. c. 4.

Vid. Gothofr. in Archont.

Cosm. cap.

de Rep. Turc.

& Boter. l. d.

Seneca de Ira.

cipum sunt: ex quibus fiunt supremi Janizarorum duces,
 classium Præfecti, Bellerbegi, atque ipsi denique Bassæ, Ve-
 zierii vel Cadilescheri. His Princeps suas amitas, & soro-
 res, & filias nuptum dat, sibi patruales & nepotes daturis.
 Reliqui, vilioris notæ, militiæ prætorianæ destinati, dedu-
 cuntur in locum, in quem magna omnis generis hominum
 multitudo, præsertim rusticanorum, confluit; qui de istis
 pueris, quos visum est, poscunt, quos illi negotio proposi-
 tus accepto nummo aureo petentibus tradit, nomine prius
 cuiusque pueri, ætate, patria, & signis aliis, quibus agnosci
 posset, in tabulas publicas relatis. Illi verò, qui puerum
 accepit, liberum est, quolibet, abducere, servilibus in agro
 operibus exercere, fame, vigiliis macerare, & nescio quo-
 modo vexare. Apud hos ergo discit male vestitus frigus to-
 lerare. Συμφέρει γὰρ εὐθὺς καὶ πρὸς τὰ ψύχη συνεθίζειν ἐν μικρῶν
 παύσων. τὸτο γὰρ καὶ πρὸς ὑγίαιαν, καὶ πρὸς πολεμικὰς πράξεις εὐ-
 χρηστότερον, ait *Aristoteles*. Quod commodissimè, & ipsius &
Galenii gravissimorumque autorum aliorum testimonio, fit
 καὶ τὸν σκέπασμα μικρὸν ἀμπιχῆν. Id quod bellicosissimis
 gentibus in usu fuisse apparet. De Celtis testis *Aristoteles l. c.*
 Germanos quoque notum est, majorem partem incessisse
 nudos. Quo vir solertissimus, rerumq; Germanarum in-
 dagator curiosissimus, *Philippus Cluverius*, inductus fuit,
 ut majores nostros plerosque nudis incessisse corporibus,
 nobis persuadere conaretur; quod contra omnium antiquo-
 rum testimonia, qui aliquem iis, quamvis perquam æstivum
 amictum tribuunt. Videatur *Prænob. & Exper. Dn. D. Con-
 ringius in Tractatu de habitu corporum Germanorum, & in Dis-
 sertatione de vita & moribus Germanorum veterum*. Et quid
 attinet plura afferre exempla? Ad propositum nostrum rever-
 timur, & tironem nostrum Janizarum in agro apud Rusticum
 porrò contemplabimur. Hic igitur sub divo nutritur, solis
 patiens, umbræ nesciens, deliciarum nescius, voluptatum
 ignarus, duratis ad omnem laborum patientiam membris:
 illi

7. folio. c. 17.
 Ed. Heins.

illi gestare ferrum, fossam ducere, onus ferre, ex consuetudine in naturam vertit. Ut de tali milite verè dici possit:

Multa tulit se vitq; puer, sudavit & alfit.

Hæc de educatione.

XXIV. Verùm cum in bello non tam multitudo indocta, quam ars & exercitium soleant præstare victoriam; Tiro novitius etiam *Jus armorum*, ut loquitur *Vegetius*, *lib. d. c. 1.* docetur, & quotidiano exercitio roboratur, ut quæcunq; evenire in acie atque preliis possunt, in campestri meditatione prænoſcat. Siquidem cum à temperario domino repetitus, Janizarorumq; turmis adscriptus, menstrua stipendia merere incipit (quod fit, secundum Relat. quandam Italicam, ap. *Honorium*, XXII, circiter anno,) à tutmæ istius armorum peritissimo illa scienter tractare & artes belli docetur: sciunt enim nunquam profuturum exercitum belli tempore, cujus in exercendis tironibus claudicarit institutio. Tum non in plumas recondere fessum laboribus corpus, sed nullis laceſſitus blandimentis somnum capere; non voluptate & delitiis diffluere, sed parvo cibo atque potu contentus esse; non obloqui & immorigerus esse imperantibus, sed dicto audiens illis in omnibus esse docetur: ideoque & primis temporibus toti decuriæ, cui est adscriptus, in culinæ, aliisque servitiis ministrare cogitur. Videatur *Busbeq. in Exclam.*

Theſaur. Polit. p. 112.

XXV. Superest verò alius adhuc Herculi nostro superandus labor; siquidem quamvis jam satis sit exercitatus, nondum tamen reliquis suis contubernalibus honore & stipendiis æquatur; sed solam in virtute se illis æquandi spem habet. Nam quemadmodum olim Tyronibus album scutum, quod insigni aliquo facinore decorare possent, datur; sic apud Turcos tiro demum præclare aliquid ausus tirocinio eximitur. Quò fit, ut hoc virtutis incitamento instigati, multa præclare audentes fortitudine cum veteranis certent. Quod magnum ad militiam adjumentum esse nemo negabit. Ut vel hinc appareat verum esse illud *Botteri*

l. c.

teri Janizarorum electionem & Timarrorum institutionem esse due fundamenti principali dell' imperio Turcbesco.

*nExpl. Au-
thene. Ne fi-
lius pro pa-
tre*

*Forst. ad Ann
Tac. 13. cap.
4.*

Barcl. l. d.

XXVI. Porrò cum laborem præmia sequi justum sit, idem ille qui ante sub fiduciarii domini servitio despectus, & sub ministerio totius decuriæ contemptus jacuit, post obitum fortitudinis specimen extollitur, & reliquis contubernalibus honore & stipendiis æquatur. Etenim cum antea sesqui Ducati illi stipendium fuisset; Jam 5. vel 6. Ducatis pro meritis gaudet. Adhæc maximis ornatur privilegiis & immunitatibus, nec conveniri nisi sub suo Aga vel Capitaneo potest; non secus ac nostri milites non nisi apud suum ducem conveniri possunt, ut ait *Magnif. Du. D. Richter*. Neque privilegiis solummodo ingentibus gaudent Janizari; sed magna quoque ipsorum auctoritas & potentia est. Ipse enim Imperator in ipsorum est manu; ab illis eligitur; illos gratia & muneribus fovet, ut sæpius immensum donariis & novis immunitatibus augere cogitur. Adjunguntur etiam Oratoribus Imperatorum Regum, & Rerumpubl. ad Portam Ottomannicam ablegatis: unde pariter non leve ad ipsos emolumentum redit. Et summam ipsorum est imperium. *Nam qui arma & ararium in sua potestate habent, summum imperium, si non nomine, re saltem obtinent.* Videatur *Busbeq. Ep. 1. L. T. ut & in Excl. Et Gothofr. & Boter. ll. dd. & c.*

XXVII. Sciendum tamen nostra ætate Janizarorum ordinem à pristina virtute valde degenerasse. Nam primò non tantum Europei, sed etiam Asiatici in hunc ordinem leguntur. Deinde & institutio longe diversa, quam olim Siquidem jam desveti pulvere exerceri, in otio & civilibus delitiis ad turbitam, sed gnarum audaciam instituuntur, hodiè etiam non tanti emunt, fortes esse ut cum longo sudore corporisq; ad laborem obsequio ad artes bellicas perveniant. Sagittarum quoque, in quibus olim præcipua Turcis vis fuit, usum jam suo tempore neglectum fuisse, ait *Barclajus*. Adhæc

hæc uxores ducunt ; cum vetus statutum illos cœlibes esse jubeat. Præterea maximam in omnes & in Imperatores adeo ipsos sæviendi licentiam sibi sumunt ; adeò ut hoc ipso sæculo duos, eorum, *Osmanem*, (vide tn. quam causam Interitus Osmanis faciat *Besoldus*) Anno clō Iōc XXII. & *Ibrahimum* ejus fratrem, hodierni Imperatoris *Mahomedis IV.* parentem, A. C. ∞ Iōc XIX. strangularint. Hæc verò mutatio initium sumsit A. C. clō Iō LXXXV, cum extremitate periculi coactus Imperator *Amurathes III.* Amozoglanos neque usu, neque ætate ad militiam adhuc aptos in Janizaros legit ; teste auctore *Discursus dello stato presente del Turco & modo di fargli una Guerra reale*, qui habetur in *Honorii Praxi Prudentiæ Polit.* p. 127.

l. cit.
*Vid. Richter-
 rus Axiom.*
Bol.c.10.p.m.
30.Camerar.
Horar. Suc-
cisiv.cent. 2.
cap.24.p.m.
140.
Hist. Turc.f.
1339. & Sy-
nopf. Pol.l.1.
part.1.c.1.n.9.

XXVIII. Tantum de Janizaris, præcipuo Turcici exercitus robore. Equitum, nempe *Spaborum*, *Ulusagorum*, & *Caripicorum* qui ex iisdem pueris eliguntur, eadem, aut certe haud dissimilis est & educatio & institutio. Reliqui vero pedites nempe *Asappi* comparatione ad Janizaros, tirones & exiguæ efficaciam milites habentur, nullaque alia re quam multitudine memorabiles sunt. Es sind faule Gesellen/ dienen mehr zu rauben und brennen. Quos utrosque si cum Romanis conferre, velles, hos *subsidiariis* ; illos *legionariis* cum *Bottero* accensere posses. Ideoq; illos præterire satius videtur, Vide *Gothofred. in Archont. Cosm. de rebus Turcicis in genere.*

Lassen, Id.
Ep. 7.

XXIX. Hæc de Exercitu. Res ad bellum pertinentes potissimum sunt *telorum* omnis generis, *Tormentorum*, *nitrati pulveris*, *globorumq; copia*, tum etiam *navium rerumq; ad classes pertinentium abundantia.* Quorum omnium apud Turcas quoque non contemnendus apparatus reperitur. Et *Tormentorum* quidem, ut ab illis incipiam, quantam habent multitudinem & magnitudinem variæ docent ob sidiones, in his *Golettana*, *Maltae* & *Famagustæ* ; in quarum prima, omnia quæ Hispani XL. annorum spatio munimenta ex-

Vide Cl. Boe-
cler. Diss. A-
cad.7.p. m.
363. & seq. &
cũeo conf. Bo-
ter. part. 2. l.
4.p. m. 101.

D

tru-

Godofredus
in Archontologia Cosm.
l. e.

V. Godofr. l. c.
Boterus p. 10.
5.

l. 2. c. 1.

truxerant, IX. diebus deiecere. Maltam verò sexaginta æneorum globorum millibus concussere. Famagusta XX. milliagloborum experta est. Ad hæc tantæ magnitudinis tormenta habent, ut solo ventu & boatu, ne dicam ictu globi, muros concutiant & tremefaciant. Multitudinem etiam tormentorum maximam illis esse, exinde verisimile est, quod immanem eorum numerum à Christianis bello accepit. Ex Hungaria enim ultra quinquies mille abducta sunt; in Insula Cypro plusquam Is accepere; nec pauciores in arce Golettana: ut taceam quæ cum in aliis ignobilioribus obsidionibus, tum in præliis variis nacti sunt. *Navium* verò copiam & *classium* magnitudinem quod attinet, ea quanta sit, ostendere pariter dictæ obsidiones Golettæ & Maltæ, diciturque Imperator Turcicus in navali suo habere plures quam CCC naves actuaras, computatis XIV. onerariis, quos *Maonas* vocant: ne quid dicam de *Dalondris*, genere navigii, quo equi trajiciuntur. Ad hæc multas etiam habet triremes apud Insulas, nec non Alexandriam Constantinopolim & in aliis portibus celebrioribus. Præterea solet receptum dare in urbibus Africæ, Tunetto, Hippona, Bugia, Argeria, Tripoli, piratis; à quibus magnam multitudinem nautarum & remigum belli tempore accipit. Jam haud scio, an quisquam cæterorum Principum celerius & commodius classem possit instruere; siquidem Silvæ quam plurimæ e. g. Albanæ, Caramanniæ, Nicomedienses, Trapezuntia, arboribus sunt fertissimæ; operariorum autem multitudo, quoniam & Christianos in armamentaria & navalia ipsorum turpis amor lucri pellit, maxima est. In solo enim Constantinopolitano armamentario XLVI. millia operarum numerata sunt, ut haud immeritò pronunciaripotest de ipsorum navibus, quod *Florus* olim dixit de Romanorum: *Non artefactas, sed quodam munere Deorum mutatas in naves arbores videri.* Id quod satis apparet ex insigni ad Naupactum classe amissa; quam tamen nihili æstimantes paulò post aliam CL. galerarum in
mare

mare emiserunt, satis ad hoc validam, ut cum victoribus de-
nuo depugnaret. Verum quamvis putamina magna in co-
pia adsint, nucleus tamen hinc abesse videtur. Neq; enim
justam Nautarum & Remigum copiam, quemadmodum nec
militum, qui tormenta explodant, similiumque nauticæ rei
peritorum Turcæ satis habent. Atque hinc fit ut non tam fa-
cile maritimus miles quàm pedester restitui possit. Majo-
rem enim prudentiam & experientiam maritimæ disciplina
militiæ desiderat; quippe in qua non tantum cum viris, sed
& cum fluctibus & ventis colluctandum est. Quos conflictus
unicè nautarum scientia, gubernatorumque & remigum pe-
ritia vitare, mareque suis partibus oportunum redigere po-
test. In navigiis utuntur genere hominum, quos *Alappos*
vocant, quorum circiter XX. singulis triremibus imponun-
tur quibus ad diversa remigum ministeria utuntur. Addun-
tur pauci ex Gianizaris vel Spahis, præterea ante LX. fermè
annos ab extremis Persiæ finibus evocatum est genus quod-
dam hominum, quod *Cbiurdos* vocant; id classi & maritimis
viribus imposuere; verùm neque hic miles putamen frange-
re potuit. Quare itaque sine controversia, ut terra ferocif-
simos experimur Turcos, ita mari nihil esse faciendos du-
dum compertum est; eamque ob causam contra Venetos
mari nil possunt; siquidem sæpissime eorum classis non sine
damno domum mittitur. Causa verò istius penuriæ est quod
genus istud hominum propter singulare quoddam tempera-
mentum maritimis laboribus ferendis minus commodum
& ferme planè ineptum est: siquidem, vix centesimus eo-
rum qui in naves ascendere (quod ut faciant summa cum
severitate compelluntur) domum revertitur. Sed & remi-
ges eorum ferè minus sunt experti: propter causam enim
ante dictam coguntur, quoties classem instituunt, novum
remigum delectum agere; unde fit ut illorum triemes ar-
mentur hominibus inexpertis, qui vix mari tranquillo cur-
sum suum tenere possunt, nedum ut in maritimis præliis, ubi
non tantum cum viris sed & cum ventis & fluctibus pugnan-

p. 108. Prax.
Prud. Pol.

dum, quicquam efficere possit, Hinc exclamat autor istius Relationis apud *Honorium* ad Ser. Venetorum Remp. *Vera mente, noi non ardiremo mandare insieno in Istria quelli Vascelli mal conditionati, ch' essi mandano à tutte le più lontane & maggiore fattioni, &c.*

v. Boecl. l. d.
p. 361.

XXX. Inter Res ad bellum pertinentes sunt, & *Divitia* s. *Pecunia*: cui vel ad parandam vel ad augendam potentiam maximam vim inesse, omnes prædicant, illudq; Poëta huic loco tanquam emblemata præscribunt:

REGINA PECUNIA RERUM.

Idem l. c. p.
362.

Hac enim opus est magnis imperiis ad varia hominum genera oportunis in locis & gentibus concilianda & devincienda, ad conducendos alendosque milites, ad remunerandos benè merentes & quæ sunt ejus generis alia. Ejus parandæ modi usitatiores habentur *Mercatura*, *Fodina Metallica*, *Tributa*, *Bellum*. Horum primus quidem, nempe *Mercatura*, hic planè neglectus jacet, est enim *Turcis* animus rudis, gregum tantum, armentorum & supellectilis curam gerens; quæ verò exercentur mercimonia ferè sunt in manu vel *Judæorum*, vel *Christianorum Europæorum*, puta *Genuensium*, *Venetorum*, *Ragusinorum*, *Gallorum*, *Anglorum Belgarum*, &c. ac proinde ex iis parum emolumenti ad Imperatorem redit. Unde & *Boterus* ac *Gothofredus* ll. dd. *Mercaturam* spretam, & *Agriculturam* neglectam, causas esse tradunt inopiæ Imperatoris. Causa utriusque neglectus, si *Botero* credimus, studium armorum est. Nam ut exercitus conservent, populos sibi subjectos etiam necessariis rebus spoliant: qui proinde de opibus & vitæ commoditatibus obtinendis desperantes, non ultrà necessitatem agriculturæ & commerciis incumbunt; quod verentur, ne quæ ipsi ferunt metuntque, ab aliis absumantur. *Agriculturam* verò seorsim & illud impedit, quod maxima pars rusticorum, dum proficiscentibus exercitibus annonam aliaque necessaria subvehit, aut in classibus remigum munere fungitur, incommoditate &

Relat. univ.
part. 2. p. m.
101.

Boter. l. c.

& mutationibus aëris, laboribusque, quibus adsueta non sunt, perit. Jam deficiente agricultura, quæ materiam opificiis, quibus mercatura instruitur, præbet: hanc quoque deficere necesse est. *Fodinas Metallicas* præstantes quidem & multas habet: neque *tributis & vectigalibus* destituitur. Nilominus tamen reditus ipsius quotannis ultra IIX. vel X. milliones non ascendunt. Illi sanè qui computarunt eos non amplius quam VIII. milliones, cum hoc millibus aureorum numerant. Ajunt enim, illi quotannis redire aureorum

2000000. *Caracciorum.*
 3500000. *Exportoriis & vectigalibus.*
 500000. *Ex bonis locatis.*
 1000000. *Ex censibus bonorum caducorum.*
 1600000. *Ex censibus externorum Principum.*

Summa 8600000. aureorum.

Quæ summa sane exigua est, si cum vastitate regionum & expensarum magnitudine conferatur, Restat igitur, ut modis illicitis, *bello igitur & rapinis*, inopiam istam resarciat. Tantum enim quisque privatorum habet, quantum ipse vult; Bassasque suos, quemadmodum olim Vespasianus præfectos, ut spongas habet; quos & ut hauriant abunde, & subito exprimantur, assuefacit. In summa, ad nutum tyranni auferri potest, quicquid quisque possidet. Quo fit, ut è Bassarum aliorumque ditiorum ministrorum ingentes opes conficiat. Accedunt *Donativa*, quæ à Legatis exterorum Principum, à Vasallis item suis, & iis quæ munera ambiunt, accipit. Neque silentio heic prætereundi *Timarri*, quibus Equitatus sustentatur; præcipuo loco inter reditus & opes Turcarum numerandi. Quibus omnibus tantum pecuniæ Turcarum Imperatores acquirunt, ut non immeritò scripsisse videatur *Thomas Campanella*, Turcam, quod ad rem pecuniariam attinet, parum aut nihil cedere Regi Hispaniæ.

vid. Boel. l. c.

vid. Boter. d.

Id. pag. 102.

de monarch.

Hisp. cap. 30

pag. 260. edit.

& Pelod. de

anno 1653.

Boter. p. 100.

v. Campa-
nell. l. cit.

Thucyd. l. 1.
Tacit. Hist.
2. 32. 6.

Rod. 6. de
rep. c. 2. lib.
2. Disp. 10.
de republ.

loco cit.

XXXI. Eas verò pecunias non consumunt in expeditionibus parvi momenti; sed gravioribus reservant. Neque, cum tales suscipiunt, ærario thesaurioque & præsentaneæ pecuniæ parcunt; sed quantum ejus requiritur, comparando militi, armis, cæterisque ad expeditionem necessariis promptè impendunt: quod verò impensum est, postea tributis & exactiõibus, aliisque modis suppleunt. Idque prudenter & magno potentiæ suæ incremento. Est enim, ut rectè Justinianus Imperator Novell. 4. c. 10. Cicero pro Lege Manilia, item in Philippicis passim, Scipio Ammiratus Disc. ad Tacit. l. 18. §. 8. Thucydides l. 1. alique plures affirmant pecunia nervus belli: bellum enim non est in armis maxime, sed in expensis ac sumptibus, per quæ arma efficacia fiunt ac utilia. Et immensa pecunia ferro sepe validior est. Præterea necessaria sunt magnis Principibus largitiones ad hostium consilia, copias, opes evertendas, nec potest ullum magnum imperium speculatoribus carere. Sæpius populi corruptis ducibus, ac magistratibus, quam fuis legionibus, vincuntur. Nec verò arx ulla tanta est, tantisque præsidis ac propugnaculis obfirmata ac munita, quæ non facile possit expugnari, si jumentum aureis nummis onustum cõ penetrarit; ut Philippum Macedonia Regem dixisse ferunt. Nec obstat, quod Machiavellus objicit, ferro geri bella, non aurò; non pecuniam, sed militum ducumque virtutem in acie requiri. Hoc enim ambabus manibus concedimus; dubium enim non est, quin Principem, si sola pecunia fuis arma negligat, sua spes deceptura sit. Ideoque dum pecuniam nervum belli dicimus, cætera belli præsidia non excludimus; quemadmodum non nervis solùm, sed & ossibus, carne atque sanguine, corpus animatum constare debet, ut bene colligit Scipio Ammiratus. Ducum eqvidem prudentia, & virtus militum, causa primaria victoriæ constitui debet; secundarium tamen locum pecuniæ denegare non possumus. Quippe ne nunc recenseamus, quoties Principes aut belli duces ob inopiam victoria exciderint; (sic Maximilianus ne Mediolanum reci-

reciperet, inopia fecit: *militēs enim ob non per soluta stipen- Cluverus de*
dia diffugere:) non melius disciplina militaris, *anima exerci-* cit. histor.
tus, conservari potest, quàm si suo justo tempore militibus p. 693.
stipendia persolvuntur. Nam si duces vel non possunt sol-
vere stipendia, vel propter avaritiam nolunt, disciplina mili-
taris strictè servari non potest.

XXXII. Hæc de mediis externis, quibus ad obtinen-
dam potentiam Turcici Principes utuntur. Nunc ad *inter-*
na vertimur. Quorum alia religiosa sunt, & ex Alcorano
aut traditione desumuntur: alia profana & civilia, & ex hi-
storiis ac quotidiana ipsorum consuetudine deducuntur.
Prioris generis quinque potissimum sunt, quæ huc referri
possunt. Quorum primum est *Polygamia*, de qua jam dictum
est. Alterum est *Persvasio de Fato*, non diverso ab illo, quod
Stoicum appellant, de quo *Seneca Tragicus*:

Non solita possunt curæ

Mutari rati flumina fusi.

Quicquid agimus, mortale genus,

Quicquid patimur, venit ex alto &c.

Credunt enim, suum cuique terminura fatalem, quoad annum,
menses & dies præfinitum esse, qui nec præverti, nec differri
queat: neminemque mori, antequam adventet fatum ejus, eti-
amsi immergat sese periculis, immittatque præliis: fatum autem
non venire, quoad mensura non fuerit adimpleta. Hocque de-
cretum non mutari, etsi mille gemitus & suspiria sive cum laude,
sive querela, ex ore prodeant: nullam ab eo fugam, nec resisten-
di locum esse. Citra fatum ne quidem piscem capi, aut in arida
mori, nec muscam perire: nedum hominem, qui tametsi in os
draconis ingrediatur, non tamen devoretur, nisi die fati. Deni-
que, ut aliquis moriatur ante tempus præfinitum, eoque mente
concipi non posse, ac, ut comedat cibo nec dum concessio. De quo
plura congescit *Levin. Warnerus* in *Dissertatione de Vita termi-* pag. 11. 12. 13.
no, qui hæc ipsis Arabum Persarumque verbis refert. Quam 15. 16. 17. 20.
persvasionem summum ad militiam adjumentum afferre, fa-
cile

S. 19.

In Oedip.

v. 980.

Gothofr. &
Boccalinus
ll. cc. Busb.
Ep. 4. Leg.
Tur. p. m. 266

Florus l. 2. c.
25.

Ib. c. 18.

Vell. Pater-
culus l. 2. c. 5.

Busbeq. Ep.
4. Leg. Tur-
cica p. m. 231
cū quo conf.

Ep. c. p. 224.
Hist. Mu-
sulm. l. 1.

ap. Camera-
rium Hora-
rum Succu-
siv. l. 2. c. 29.
p. m. 121.

cilè apparet. Dum enim unicuique horam mortis in facie scriptam existimant, nil non periculi subire audent; adeò ut in præsentissimam mortem eant, interque bombardarum globos intrepide versentur. Quod quamvis sæpius in ipsorum perniciem vertat, non minus tamen & hostibus ipsorum nocet; nemo enim hosti majus detrimentum afferre potest illo milite, qui non pro victoria, sed in mortis solatium pugnat. Maximè enim *mortiferi esse morsus solent morientium bestiarum.* Quod in Carthagine semiruta expertus est Scipio Aemilianus: posteaque Numantinis prælium petentibus sui copiam facere noluit. Fit enim sæpius, *ut ad moriendum missus miles, vel victor recipiatur, vel sanè haud inultus obeat. Tantum efficit mistus timori pudor, spesq; desperatione quasita.* Adeò verò Turcarum gens à morte sibi non timet, ut non tantum periculosissimas dignitates, & in quibus certi sunt, se interfectum iri (quales sunt primi Vezirii, Bassæ, &c.) summo studio affectent, sed etiam squalentes adhuc recenti tabe vestes illis, qui peste moriuntur, detrahant, sibi-que inducant. Unde pestis plerunque cum semel eos adgressa est, latissimè grassatur. Adhibent tamen Amuleta à Sacerdotibus & antistitibus Religionis accepta, quibus se atque equos suos in hostem ituri tutos fore existimant. De iis verò *Leunclavii* verba hæc sunt: *Solent quedam amuleta à Sacerdotibus & antistitibus Religionis accepta per Hozas & Talifanos, sive Sacerdotes, equorum collo appendere, cum in hostem ituri sunt; certò persuasi, se tutos iis adversus hostiles ictus esse.* Quibus quantum audacia augeri possit, nemini non apertum esse videtur; namque spes victoriæ, quam aliàs timor mortis vel vulnerum aliquanto debiliorem facit, hic manet integra; adeò ut talis homo magnum hostili exercitui possit afferre incommodum; quemadmodum satis exemplis probari posset, nisi illa in ore & recenti memoria omnium essent.

XXXIII. Tertiò id quoque haut parvo illis ad potentiam acquirendam usui est, quod iis persuadetur, *nullotum ani-*

animas majori compendio in caelum evolare, quam virorum fortium, qui in bello ceciderunt. Unde qui bello periere, felices in computationibus, in circulis & carminibus jactantur, ac à nemine non celebrantur, à virginibus & mulieribus non secus ac Lacedæmonii in bello cæsi canticis extolluntur, beatique pronuntiantur; ut ita nemo sit, cui vel leviter memoria post mortem curæ est, quin aliquid laude dignum audens se morti mancipare, & ita in commilitonum ore immortalis fieri desideret. Nemo enim non est cupidus mansuræ post mortem famæ. Haud absimili commento olim Pontifices Romani illos qui ex eorum lubricitate contra principes Banno sive excommunicatione notatos pugnabant, fermè vivos ab angelis in caelum sublato iri, nugati sunt.

*Busbequius
Ep. 3. L.
Turc. p. m.
158. Gothofr.
in Arch.
Cosm. l. c.*

XXXIII. Quarto Imperator sive Rex Mahometicæ Religionis *templum*, aut ut ipsi loquuntur *Mosquam*, vel ad nominis sui memoriam, vel ad corporis sui post mortem receptaculum, vel ad pietatis suæ monumentum condere, *antequam regnum aliquod ditioni suæ adjecerit, prohibetur*, quæ sive lege sive consuetudine ignavissimis etiam Imperatorum stimulus ac quasi calcar additur: simul ipsius Reip. Finis & propositum indicatur, quam, velint nolint, propagare atque ampliore facere coguntur. Geminum huic est, quod apud Romanos cavebatur, *ut pro aucto imperio, non pro recuperatis, quæ P. R. fuissent, Triumphus decerneretur.* Et institutum, *quo more prisco iis qui protulerat imperium, etiam terminos urbis propagare dabatur.*

Boccal. l. c.

*Valer. Max.
l. 2. c. 8. n. 4.
Tacit. Ann.
12. c. 24.*

XXXIV. Hæc sunt quatuor arcana, quæ cum ipsa Religione & tanquam fidei articuli, Turcis ab incunabulis quasi imbibenda traduntur. Quibus *Boccalinus* addit *vini usum interdictum.* Quod illi ad sumtus minores faciendos statutum existimant; Alii tamen alias causas adferunt. Ac Mahomedes quidem in Alcorano hanc sui interdicti causam reddit, *Quoniam abominatio sit de opere Satanae*; hunc enim

loc. sep. cit.

Hacksp. de
Relig. & Lc-
ge Maho-
med.

de Verit. Fid.
p. 606.

Epist. 3. Leg.
Turc. p. m.
92. seq.

Joan. Da-
masc. l. 3. cap.
23.

Epist. 1. p. m.
16.

hostili animo occasiones seducendi mortales captare tradit; Addit suo more fabulam sane perlepidam, de Angelis Haruta, & Maruta, amore captis, vinumque in terra bibentibus, Ludovicus Vives existimat ejus rei causam esse, quod Mabomedes ea designarit ebrius facinora, quorum postea per vitam universam pœnituerit. Augerius Busbequius meminit hanc narrari sibi fabulam. Incidisse Mahomedi iter ad amicum, in eo itinere sub meridiem divertisse ad hospitem, apud quem nuptiale convivium frequentabatur, à quo invitatum cum reliquis accubuisse: imprimis vero admiratum fuisse summam convivarum hilaritatem, plurima non ficta benevolentia signa, dextrarum conjunctiones, complexus, oscula; tum quasita ex hospite causa, didicisse, vinum hos habitus animorum facere: atque illum abeuntem, propterea benedixisse illi liquori, quo tanta caritate homines jungerentur. Cæterum redeunti postridie, idem suggesto tectum longè aliam rerum faciem occurrisse; atrocis ubique pugnae vestigia, sanguine tetro solum infectum, disjecta membra, hic brachium, ibi pedem, aliosq; alibi jacentes artus: percunctantem verò unde tantum mali! audivisse convivas quos pridie viderat, postquam se vino ingurgitassent, actos in rabiem, in mutuam perniciem sevisse, & magnam patrasse cædem. Qua de causa mutata sententia Mahumedem vini usum execratum, eoque suis in perpetuum interdixisse. Alii existimant, Mahumedi à medicis, quod in Epilepsiam proclivis esset, vini usum interdictum, qua de causa & ipse suis interdixit. Et sane maxime nocet Epilepticis merum. Cæterum istius edicti Turcæ tam tenaces non sunt, quin singularis Vini cupiditas leges interdum spernat, ut ex Busbequio apparet. Tum etiam, si semel id prætergressi sunt, culpam secure continuant; quoniam persuasum habent, nullam proportionem apud Inferos in delictis puniendis servari. Ridiculum est, quod narrat Busbeq de sene quodam Constantinopolitano, qui una manu Phialam tenens, miserandum in modum exclamavit. Rogati verò Turcæ, cur id fa-

faceret, respondere, illum bisce clamoribus commonitam voluisse animam, ut se reciperet in aliquem corporis angulum, aut prorsus emigraret, ne rea fieret ejus delicti quod admissurus esset.

Habent verò alias etiam potiones, quæ non minus sumtum requirunt, qualis est illa quam Arab sorbet, i. e. potum Arabicum vocant: tum etiam more in toto propemodum Oriente usitato, non minus sumtuum in Opii usum, quam nostri in Vinum & Tabacum sive Nicotianam, faciunt, ideoque Turcis inter convitia est proverbium, *Opium comedisti*. Hoc enim vorato se robustiores, & ad pericula paratiores fore existimant, quemadmodum in nostris regionibus facilius ebrios se omnium discriminum fluctibus objicere observamus.

Busbeq. Ep.
1. p. m. 66.

Wierus de
Præst. Dæm.
l. 2. c. 35.

XXXV. Inter profana sive civilia Arcana, quæ quotidiana praxis monstrat, primum & præcipuum est; quod *jura legesq; spernunt & fallunt*. Pacem enim & inducias occasione data frangere apud illos nulla habetur Religio. Imò & socios suos, à quibus in auxilium vocati, cum quibus foedus pacti sunt, si præmium sceleris detur, aut exuere suis, aut deserere sustinent. A Mahomethe Persiæ & Mediæ Sultano in auxilium & societatem contra Calipham acciti cum ipso quidem Calipham initio oppugnarunt, sed cum viderent uberrimum rebellionis præmium totius Asiæ imperium esse, ipso ejecto regnum ejus occuparunt. Idem tentavit AMURATHES I. in Palæologo Imperatore; sed cum arduum illud esse animadverteret, contentus maxima parte Thraciæ socium, & foederatum exuisse; hostes ipsius bellis vexavit. Et quid attinet multa de Mahomete II. dicere, cui fas æquumque non nisi quando conducebat, curæ erant? Sulimannus etiam sub tutoris nomine totam Hungariam cum munitissimis locis Buda & Pesto, Stephanum pupillum tanquam ejus videndi cupiditate teneretur, in castra afferri jubens, nil timentibus Hungaris, dolo occupavit. Pro Axiomate enim habent illud Lyfandri apud *Plutarchum*: Τὸς μὲν παίδας ἐ-

in Laconicis.

Dux Rohan.
in Trut. Stat.
Europ. P. II.
Disc. 3. p. m.
06.

ἡ ἑλληνικὴ ἐξαπατεῖν, τὰς δὲ ἀνδραγαθίας. Prudenter igitur fecit Respublica Veneta, quæ non consultum duxit in Controversia cum Papa Paulo V. A. C. 1605. exorta, oblato Turcarum auxilio uti, *ne medicina morbus fieret deterior.*

XXXVI. Secundum arcanum consistit in illo, quod *debiliores semper contra magis potentes sublevant.* Duas verò præcipuè ob causas hoc faciunt. Vel primò, ut ditiones hoc modo suas ampliores faciant. Vel enim victi in potestate eorum sunt, quorum robore victi sunt; vel utrique & victi & victores potentioris possessioni cedunt; aut si ab adversario nil sperandum est, socios suos dititionibus exsuunt, de quo Thesi præcedenti jam dictum est. Vel secundò ut semper ille, à cuius potestate timent, adversarium habeat. Priori modo acquisivere maximam Thraciæ partem, Serviam, Bulgariam & partem Mysiæ superioris sub Amurathe I. Sub Solymano maximam Hungariæ partem, Regnumq; Tunetanum, quibus partim suos, partim hostes exuere. Etenim in specula quadam omniū libertati gentium insidiantur, dum contentiones ipsorum alunt, ut tandem victi victoresque eorum potestatis fiant. Id quod inter Hispanorum quoque arcana refert *Dux Rohaneus*; quod nempè controvertentium alter adversus alterum sub larva conciliationis stimulandus sit, cum altero foedus feriendum, spe facta alterum prædæ utrique futurum, tandem tamen uterque dititione sua exuendus sit. Haut aliter Philippus Macedo Græciam suæ potestatis fecit, & Ariovistus Galliam Germanica sceptrum agnoscere coëgit. Eodem artificio, dum Patrum nostrorum memoria Princeps Neoburgicus & Elector Brandenburgicus de Julia-co & Clivia certant, Ordines foederati Belgii Brandenburgico succurrentes alteram, & Spinola nomine Hispanorum itidem alteram partem sociorum nomine subegere. Tutum igitur non est, alienigenam ad auxilium in civili quadam discordia vocare, ne cum tuis armis ipsum potentem feceris, ab illo liberari, quamvis velis, nequeas, cuius exemplum per-

L. d. P. 1. p. 3.
& 4.

Id. L. c. P. 2.
D. 5. p. 71. &
sqe.

perspicuum Germania nostra præbere posset ; sed domestica mala oblivione potius tegenda , quam odiosa mentione refricanda videntur. Posteriores ob causam Turcæ contra Imperatores semper Transilvaniæ Principes sublevare. Et Gallum propter discordiam , quæ intercedit ipsi cum Hispano , fovère. Sunt enim hæc duo regna quasi *Poliduo* , unde *pacis ac belli influentia ad alios status delabuntur* , ut loquitur *Dux Robanaus*. Part. I. p. m.
2.

XXXVII. Tertium Arcanum , quo plurimum juvantur , est admirabilis in expeditionibus Celeritas : qua si non usi fuissent , tantas sanè res non confecissent. E. g. majoris molis res fuisset , si Amurathes Vladislaum Hungariæ & Poloniæ Regem non ad Varnam aggressus fuisset , antequam suas copias cum Græcis conjunxerat. Campson etiam , Ægypti & Syriæ Sultanus , majores motus fecisset , si adventum Selimi Imperatoris præsensisset. Maxima enim celeritate Turcæ exercitum ducunt , eaque omnes gentes superare dicuntur. Quæ quod maximum ad victoriam adjumentum sit , scivit Miltiades ; ideoque suadebat , ut primo quoque tempore castra fierent. Et quid Alexandro M. in bellis suis magis profuit quàm Celeritas ? de qua Cobares apud Curtium ad Bessum : *In vestibulo* , inquit , *Regia tua velocissimus consistit Rex : ante ille agmen , quàm tu mensam istam , movebit*. Hoc etiam ipsius æmulus Julius Cæsar optimè scivit ; ideoque celeritate omnia sua bella confecit : Unde rogatus , quomodo tantas res confecisset , respondit : *undeν ἀναβατόμυϑον* , quod Lucanus hocce versu reddidit :

Corn. Nep.
in Milt. c. 4.
l. 7. c. 4.

Nil actum credens , si quid supresset agendum.
Datames , etiam vir singulari prudentia existimavit facilius se hostem imprudentem parva manu oppressurum. Quod & bono cum successu præstitit , siquidem antequam Persarum Rex ipsum profectum putabat , Aspim cepit. Eadem celeritate in nupero Bello , quod Germaniam nostram per triginta annos afflixit , inclaruit Comes de Pappenhaimb,

Corn. Nep.
in Datame
cap. 4.

Heros sanè fortissimus, Dux prudentissimus, miles manu
 promptus, cujus exercitus alatus propterea dicebatur. Tan-
 dem, quid nuper in Dania Svecis magis profuit quam Cele-
 ritas, cum per stratum gelu Mare & structos frigore pontes
 tanta celeritate ivere, ut prius ad Insulam Fioniam pervene-
 rint, quàm hi illos profectos audiverint; sicque inopinantes
 strenuèqve potantes & comessantes oppresserint? Notan-
 dum verò, quod cum hic nobis de celeritate sermo fit, nos
 non intelligamus præcipitem festinationem, sed consultam
 celeritatem, de qua Salustius: *Priusquam incipias consulto;*
ubi consulueris, maturè factò opus est. Pertinet huc etiam
 InBelloCati- modus, quo Imperatores Turcici artes trahendi bellum im-
 iin.p.m. 3. pediunt præcaventqve. Naturalis est hominibus in Imperiis
 manendi cupiditas; cuique semel advererunt potestati, eam
 ægre deponunt. Neclibenter secundo loco adscribitur, qui
 Tacit. 4. primum ulla ratione obtinere potest. Quo fit, ut Duces
 Hist. 35. in rea (ut benè III. Forstnerus) *aulicæ calliditatis pars est, neces-*
 not. ad Tac. *sarium se, suamq; pace aut bello operam, Principi reddere: iisq;*
 11. A. 19. *patronum negotiorum labyrinthis implicare, unde sine ministri*
ductu, tanquam Ariadnes filo, exire nequeat: semina rebel-
lionis præbere, bella ex bellis serere, validarum Urbium arcium-
que subsidio se implicare, occasiones, quibus confici bellum posset,
 Forstnerus *omittere.* Huic itaque incommodo subventuri Ottomanni Im-
 l.c. ut & in peratores, *sapientissimo consilio exercitus primis Bassarum,*
 Om. ad 4. *quos Vezirios vocant, committunt, quibus summa in aula au-*
 Ann. *toritate ac potentia pollentibus nil potius quam cito finem*
bello imponere: quod perfunctis reditus ad Principem neque
aliter conceditur. Hominibus enim in aula dominantibus,
 pax & quies imprimis curæ sunt; eaque præcipua sol-
 llicitudo, ne turbatis bello rebus arbitria negotiorum ad
 alios deveniant. Præterea qui rebus pacatis locum suum
 tenere possunt, turbis libenter supersedere solent. Contra,
 qui

qui maxima stipendia, magnos honores & potestates, aut etiam summum imperium ex bello sperant, iis nil magis ad palatum est, quam bella non solum quam primum suscipi, sed etiam quam longissime duci: quod sciant, plus emolumenti sibi in bello, quam in victoria esse.

XXXIIX. Quarto Trajanus Boccalinus etiam illud affert, quod cum Principibus, qui majoris sunt potentia, nec primo ictu debellari statim possunt, post primum impetum bellum quasi abrumpant. Sciunt enim, quam stultum sit alienis inihiare, cum ipse tua in periculum adducas. Hoc Mithradatem Ponti; hoc Philippum Macedonum; hoc Antiochum Syriae; hoc Jugurtham Numidiae; hoc Demetrium Macedoniae Reges perdidit. Quorum primus Asiae imperium affectans, Pontum amisit (α); sequentes duo Aegypti Regnum, antequam captum esset, dividentes, suis ditionibus excidere (β); Jugurtha vero scelere duas Numidiae partes cum occupasset, & tertiā, à Romanis perfidiae ultoribus excutus est (γ); Postremus vero Asiae regnum spe complexus Macedonia excidit (δ). Turcae itaque tale in periculum se suaque adducere nolunt. Quare si bellum cum Principe quodam gerunt, qui non tantum ipse potens est, sed multos etiam belli socios habet, contenti sunt regionem ipsius aliquantulum imminuisse, thesauros ipsius exhausisse, & ita potentiam ejus infregisse: eoque obtento, pacem cum eo faciunt: quin ultra septem annos bellum protrahi peculiari, siue consuetudine, siue instituto prohiberi fama est. Sciunt enim, quam difficile & periculosum sit, illi spem omnem praescindere, cujus potentia adhuc tanta est, ut non modo sua recuperare, sed & victores ad pacem cogere possit. Cujus rei exemplum seculo XIV. resp. Veneta nobis abunde praebuit; quae cum in bello Genuensi multis acceptis cladi- bus, ad extremum discrimen pervenisset, Veneti pacem petiere. Sed victores fortuna feroces unam spem esse Pacis dicebant, si se suaque victoris arbitrio permitterent. Crevere

Relat. Cent.
2.c.88.

α) Flor. l. 3. c.
5.

β) Just. l. 30. c.
2. & seq. Li-
vius l. 35.

γ) seq. Florus l.
2. c. 7. & 8.

δ) Salust. in
Bello Jug.

Just. l. 16. c.
2.

Turselinus
in Chron sub
Imp. Win-
cislao.

au-

autem Veneti ex desperatione animi, cum viderent nullam conditionem Pacis sibi reliquam esse, nisi se Genuensium servos pronunciarent. Ideoque resumptis viribus, Genuenses & Ligures victos eandem quam tulerant conditionem accipere coëgere. Præterea plus roboris militi, qui quotidiè in bello exercitatur, accedit, ideoque Lycurgus apud Lacedæmonios lege sanxit, ne contra eosdem sæpius pugnant, ut refert *Plutarch. in Lacon.*

XXXIX. *Ut autem eo facilius pacis conditiones, quas volunt, obtineant, legatos, qui pacis faciende causa Constantinopoli commorantur, tam arctè custodiunt, ut potius captivos, quam oratores habeant.* Nam ut sunt propensum in suspitiones hominum genus, legatos aliorum Principum varia habere mandata, quæ pro re nata & ingenio temporum deinceps proponant, animis imbiberunt. Ob id perterrefaciendos, ostendendum bellum, veluti carcere conclusos habendos, omnibus modis vexandos, quoad malis victi, quæ ad ultimum reservare iussi sunt mandata maturius edant, ut loquitur *Busbequius*. Quod etiam bono interdum, præsertim si legati animus ad talia non occalluit, illis cedit. Imò si non statim ex ipsorum sententia res processit, minis & periculi ostentationibus efficiunt, ut legati nil non permittant. Quemadmodum Persiæ Regis, *Murat. Chan.* dicti, legatum *Maxus Can.* perpetuum illi carcerem minantes, ita terruerunt, ut ex hisce malis se extricare cupiens aureos montes polliceretur, & nil se Regi suo non persuasurum promitteret. Eodem modo *Veldwikum*, *Caroli V.* Imperatoris legatum, 18. mensibus distinuerunt. Quantumque *Busbequium* & ejus Collegas vexarint, ostendit ipse in epistolis passim. Hunc etiam Moscovitarum legatos vexandi habere morem, tradit *Parerius in Chron. Mosc.* quo interdum, præsertim si legati moris istius ignari aut inassueti sunt, haud parum obtinent. Simili ratione præcedente anno Belgæ, ut pacem cum Lusitanis maturarent, Comitem de Miranda, legatum Portugallicum, vel

man.

Busbequius
Ep. 3. p. m.
165.

Autor Relat.
de Stat. Regn
Persie apud
Honor. l. d. p.
m. 362.

præsertim
Ep. 3.

mandata à Rege accepta proferre, vel intra decem dies provinciis suis excedere jufferunt. *Ingenio itaque promptum, & animo constantem, (in his præsertim gentibus) oportet esse Legatum; neque vehementis, inquieti, & importuni nomen & famam suffugere; dummodo veri rebus conducatur, & arrogantia aut contumelia honorem illius minimè ledat, ad quem missus est.*

XL. De præcipuis ad acquisitionem facientibus diximus: superest ut videamus, quibus mediis potentiam acquisitionem conferrent. Ea verò itidem vel sunt externa vel interna. Externa sunt Præsidarii, & imprimis Spahi Timariote. Hi verò sunt Equites, qui instar coloniarum in Timarris i. e. agris ab hoste captis collocantur, ut aliquot equos, virosque in belli usum alant. Vocantur verò Timariote, quia non stipendio annuo pecuniario sustentantur, sed assignatis agris detinentur eo pacto, ut tot equos ad bellum alant, quot agrorum designatorum portio postulat. Nam cui ager trium millium asprorum assignatus est, militiæ unum equum debet; qui opulentiores Timarros habent, iitenentur ad bellum ducere tot equites, quot millibus asprorum reditus ipsorum 5000. aspros superant. Collocantur verò pauci aut nulli in provinciis mediis, (hæ enim plerumque sine milite & armis, quæ Sultanus, ut ante dictum, illis adimit, relinquuntur) sed in longinquis limitaneisque locis. Nec alii collocantur, quam qui jam stipendia meruere. Qua ratione & benè meritis præmia persolvuntur, & ditiones ab hostili incursione tutæ præstantur. Eodem modo, quo Romani in devictis gentibus Colonias suas collocabant. Nam cum primum Ottomanum provinciam aliquam occupant, non modò directum dominium sibi asserunt, sed sæpius & utile publici juris faciunt, destruendo atque expellentes nobilitatem veteresque Possesores, suisque militibus, tanquam pro benè navata opera eorum agros in præmium & in stipendium tribuentes; non secus ac Franci in nostra Allemannia militibus suis, quos in castris & turribus collocarunt; Monasteriisque quibusdam, nobilium Allemannorum opes attribuere, vel ipsos nobiles

Forstn. ad A.
Tac. 15. c. 5.
ad verba
Mandata
ferociter edidit.

Barc. l. c.

Relatio de
urbe Constantinopoli, ap.
Honor. Thes.
polit. p. 90. 91.

Honor. l. c.
p. 90.

eorundem servos fecere; quod & Germani in Vandalorum
& Sclavorum gentibus repetivere; Quæ origo est hodiè ad-
huc durantis servitutis in Westphalia, Marchia Brandenbur-
gica, Holsatia, Svevia &c. in den Leibeigenen Leuten / oder zu
altäglichen frongefessenen Unterthanen. Vid. *Connan. com. c.*
10. n. 3. Cassiodor. 2. Varior. 41. Lehman in der Speirischen Chroni-
ck l. 2. c. 19. & 20. & l. 4. c. 22. Besold. synopsis. Pol. P. 1. l. 1. c.
14. n. 10. 11. & 12. Magnus autem Timariotarum, sed incer-
tus, est numerus. Ad 145000. esse refert *Honorius*, è quibus
80000. in Europa positi; reliqui in Asia. Sed multò plures
esse credibile est, postquam Babylonis & Urbs & Regnum
Turcas Dominos agnoscunt; namque ingens præsidiorum
ad illa defendenda numerus requiritur; diciturque Babylo-
nem plus sumptuum requirere, quàm annuus regni illius re-
ditus conferre possit. Non secus ac Venetis Creta & Corcyra
sumptum majorem quam censum afferre dicuntur. Vid. *Re-*
lat. Honor. p. 140. Quantos autem usus hi Timariotæ, præter
ante dictos, imperio Turcico præstent, docet *Relatio de ur-*
be Constantinopoli & imperio Turcarum, quæ in *Tbesauro Po-*
litico Honori habetur. Quorum primus est, quod hoc pacto
Imperator Turcicus sine ulla diminutione ærarii publici tan-
tam semper equitum multitudinem largiter sustentare po-
test, cui alioqui alendæ quotannis XV. auri milliones non
sufficerent. Secundus, quod ager, qui aliàs incultus propter
populorum infecilitatem jaceret, excolitur, & sic annonæ,
quæ ibi satis cara, difficultas levatur. Nam cum bona illa
Principis bona sint, eorumque tantum usus fructus ad man-
cipia & milites suos pertineat; eam ob causam inquilini &
coloni eorum non tam aspera tyrannide premuntur, eoque
agri ipsorum minus debilitantur. Unde concludit *Autor di-*
ctæ Relationis, solam hanc Timarorum institutionem causam
esse, cur hoc imperium tam diu sustineatur: eaque nisi
fuisset, credibile esse, id magna parte destructum iri.

XLI. Nunc ad interna vertimur; quorum itidem alia
religiosa sunt, alia civilia. Religiosorum unum est, quod cau-
tum

loc. cit.

pag. 90. & seq.

cum est : *Ne Princeps Mabometica Religioni addictus , ditionem
 ullam vel vi , vel fraude acquisitam , à se vel Bello , vel pactione
 abstrahi patiatur , in qua Templum , vel , ut loquuntur , Mosquea
 ad cultum istius superstitionis condita , precesque ab illis recitate
 fuerint .* Qualege aut more impedire voluit , quisquis illius
 auctor fuit , ne Imperator Regionem armis quæsitam facile tra-
 dat , aut si majore vi expellatur , semper posteriori causam belli &
 prætensionem quandam habeant : non secus ac nostri Princi-
 pes , si bello sua amittunt , per titulum tamen sibi jus quoddam
 retinere videntur . Sicuti Borbonii in Gallia , quamvis Navar-
 ræ regno exuti , & Angli nil in Gallia tenentes , titulum tamen
 & appellationem Regis sine Regno retinuerunt . Hanc ob cau-
 sam Turcæ , cum primum loca quædam munita cepere , Mos-
 queas ædificant ; quo & honesto titulo ista retinere , & ad eo-
 rum defensionem milites facilius incendere possint . Hinc o-
 ptimè Rudolphus II. Imperator Proceribus Silesiæ & Moraviæ
 periculum significans , svadebat , ut vires omnes ad immani
 huic Tyranno resistendum jungerent . Tametsi enim non du-
 bitaret , Amurathem negaturum jussu suo bellum motum ;
 sciens tamen Turcarum proprium esse , urbes quacunque ra-
 tione semel occupatas nequaquam restituere , omnem mo-
 vebat lapidem , ut Tyranno tempestivè resisteretur . Quod u-
 tiam cogitassent , qui nuper à Turcis Waradinum occupari
 passi sunt !

XLII. Posterioris classis præcipuum est *nobilitas ; illor-
 umque qui altiores habent spiritus , extirpatio vel despectus .* Cum
 enim fastidio molestiisque plenas sciant Provincias , quæ turbu-
 lenta nobilitate frequentes omnem legum atque juris auctori-
 tatem vi atque ambitu perumpunt , ut censet πολ. ἰκω. τα. το. Forstn.
 Idcirco cum primum ditionis cujusdam dominium
 nanciscuntur , nobiles , & præcipuè illos qui regiæ sunt fami-
 liæ , vel interficiunt , vel ita contemptim habent , ut nihil aude-
 re possint . Qua de re Busbequius : *Vidi , inquit aliis locis Ca-
 tacuzenorum & Paleologorum Imperatorii generis reliquias con-
 temptius inter Turcas degentes , quam vixit Dionysius Corinthi .*

Curt. l. 6. c.
23. Id. l. 5. c. 3.

Liv. l. 45.

Florus l. 2. c.
20.

Hoc verò eam ob causam faciunt, ne rebellare volens multitudo duces habere possit. *Suis enim quiq; parent placidius. Et nuper victi peregrinum imperium aspernantur.* Ut mirandum non sit, nuper Anno Ch. 1640 Lusitanos Johannem Bragan-tiæ ducem Philippo Hispaniæ Regi prætulisse. *Omne enim peregrinum imperium invidia subjectum est.* Quod cum scirent Romani, quamvis Scto Macedones Illyriosq; devictos liberos esse, jussissent, addito specioso titulo, ut *omnibus gentibus appareret, arma P. R. non liberis servitutem, sed contra servientibus libertatem afferre*: simulq; permetterent, ut dimidium tributi, quod Regibus pendere soliti erant, penderent; attamen Reges cum omni familia Romam abduxere. Asia quoque ab Attalo Rege populo Rom. hæreditate relicta, quamvis Macedonum exemplo libertatem quandam & ipsa sperare potuisset, tamen pronior in Regii generis reliquias, Aristonico se tradidit.

XLIII. Succedit *ditium familiarum usque in unum sive transportatio.* Si enim nuper sibi subjectos iniquiori animo jugum Turcicum ferre cognoscunt, statim illos qui majoris sunt auctoritatis seligunt, & in loca jurisdictioni servili assveta transferunt; ubi etiamsi maximè vellent, nil tamen conari possunt. Haud etiam infrequens illis integrum populum quasi dividere & in multis regionibus, quorum nec lingua nec vitæ genus cum istis commune est, quasi serere, ut inde servilis fructus enascatur. Hoc modo Mahomedes cum Lesbum occupasset, omnem ferè Christianorum multitudinem Constantinopolim, tanquam in Coloniam, abduxit; & Sulimannus Imperator cives Albæ Regiæ Budam, Belgradum alioq;, ne quid novi molirentur, transtulit. Eodem strategemate quondam usi Romani, dum devictas gentes, quasi beneficium pro pœna darent, patria excedere, & Romam migrare jusserunt. Et Philippus Macedo hujus rei utilitatem cognoscens, ex multis nationibus unum populum composuit. *Nam sicut pecora pastores nunc in hibernos nunc in æstivos saltus trajiciunt, sic ille populos & urbes, ut illi replenda aut derelinquenda quaque loca videbantur*

adi

Boxh. T. Ch.
p. 68.

Justinus l. 8.
c. 5. n. 7.

ad libidinem suam transferebat. Hoc etiam in animo habuisse Sennaheribum, Regem Assyriorum, ex eo colligo, quod Rabfaces Archipincerna ejus ad Judæos tanquam Regis jussu ait: *Jesaja 36. v. Donec vos petam, vobisq; assignem Regionem vestra haut deterio-* 170.
rem; regionem lacte & melle fluentem, paneque & vineis scatentem.

XLIV. Verum nec sic servituti populorum satis consultum videbatur, si arma ipsis possidere concessum esset. Cum enim magna devictarum gentium copia metu potius quam benevolentia in officio contineatur, & præterea à Turcis nativis injuriarum genera quam plurima perferre cogantur; metus erat, ne nimis injuriis irritata tandem jugum istud excutere niterentur. *Arma itaq; ipsis adimenda, Timarros imponendos, custodes* verba atque actiones subditorum observantes, ut nemo se movere nedum rebellionis speciem præbere possit *addendos* censuere. Adhæc flos juventutis, à parentum convictu abstractus, scragliis inclusus, itaq; institutus ut parentum & patriæ, imprimis verò Religionis obliviscatur, totus à principe dependens ipsorum cervicibus imminet, gnara immutato imperii statu se locum privilegia atque licentiam minimè retenturum, ideòq; aliorum libertatem suam servitutum esse haud passurus. Providendum enim est principi, ut subacti nuper populi aut nolint excutere imperium aut nequeant. Quare suspectis arma tanquam sceleri materia demenda, rebelles verò armis multandi simul in pœnam & cautionem. Plura quæ ad hocce argumentum referri possunt congeffit *Nic: Machiavellus* cui jungi potest *Job. Otto Tabor J. C. celeberrimus in Dissertatione de Apathismo**. Geminum huic est consuetudini, quod Serenissimus Angliæ Rex Carolus II. machinationes multas contra præsentem statum, quæ vulgò ferebantur, capturus, omnes cujuscunque ordinis milites, post reductum regni nomen missione donatos, vel potius exauctoratos, ad XX. milliaria ab urbe recedere, nec interea cum ullo cujuscunque nominis telo conspici voluit, Nec planè absimile, quod nuper Ludovicus XIII. Galliæ Rex (si fidem merentur relationes) omnes præfectos Reformatæ Religionis, Catholicis subrogatis, exauctoravit, simulq;

Boterus p.
190.

Forstn. ad
An. Tac. 12.
cap. 32.

Id. l. c. ad c.
31.

in Princip. c.
28. V. Forstn.
ad 15. Tacit.
c. 2.

**Cap. i. §. 5.*
Commentat.
synop. de ar-
morum Fa-
bricatione
commercio
& possess. cap.
3. §. 2. & 3.

omnes ejusdem Religionis cives exarmavit. Ut scilicet hoc modo rebellionibus occurratur.

XLV. Subditi hoc modo retineri poterant; attamen, omnibus circumcirca vicinis animo in illos alieno existentibus, nil actum putabatur, nisi in promptu esset sufficiens beneque exercitata militia, quæ vicinorum conatus prohibere posset. Verissimum enim est, quod ait Xenophon, eos qui semper in promptu & expedita habent arma, hoc consequi ut amicos habeant multos, inimicum neminem. Siquidem ad eorum amicitiam omnes, qui possunt prodesse, libenter accedere, tanquam ad arcem & certum dubiis temporibus perfugium: quemadmodum ex altera parte inimicum habere nemo velit, quem ita semper armis instructum norit, ut, cum velit, nocere possit. Hoc itaque scientes Turcæ, semper magnam militum multitudinem in promptu habent. Neque habent solummodo, sed etiam militaribus exercitiis probe instrunt, belloque idoneam efficiunt. Norunt enim, Scientiam rei bellica dimicandi nutriri audacia, neminemque facere metuere, quod se bene didicisse confidit. Cumque ferre dolorem, contemnere vulnus sola consuetudo doceat, continuis bellis militarem virtutem conservant atque augent. Nam aliunde victores venientes ad aliam expeditionem se convertunt, seu contra Persas, seu contra Æthiopes, &c. Dicit enim non potest, quantum bellis exercitatus miles in otio degenti prævaleat; ideoque illos qui magna imperia enixi sunt id imprimis egisse videmus, ut semper in continuo belli exercitio permanerent: ne sc. virtus otio marcesceret. Sane nulla re alia Populum Rom. orbem terrarum subegisse, animadvertimus, quam armorum exercitio, disciplina castrorum usque militia. Nec Philippus Macedo atque Alexander M. aliis usi artibus, quamvis enim hostes ipsis non inferiores essent virtute & scientia militari; tamen armis indurata virtute Macedonum vincebantur. Et quid aliud Svecorum arma tantum extulit, ut omnibus militari gloria præferantur, quam continuum belli exercitium, quo non tantum regiones auxere, sed & tantam gloriam militiæ acquisivere, ut nunc à nemine non timeantur?

XLVI.

Bucbeq. in
Exclam. p.
334.

Forstn. ad A.

Tac. V. 1. p.
342.

Campanella
lib. cit. cap.
30. p. m. 257.

Veget. de re
Mil. l. 1. c. 1.

XLVI. Adhæc cum optimus sæpe miles defectu rerum
 necessariorum peioris præda fiat, Turcæ ne tale quid sibi eveni-
 at, arma & commeatus maximam semper copiam in promptu
 habent, neq; bellum suscepturi aliquot annorum ad illa com-
 paranda spatium indigent. Nec obstat insignis apud illos anno-
 næ caritas. Coguntur enim subditi illorum quocunq; jubentur, ne-
 cessarios commeatus afferre. Proficiscens ad bellum Turcarum prin-
 ceptis camelorum millia secum ducit supra quadraginta, nec multo
 pauciores sarcinarios mulos, quorum magnam partem, ubi in Persi-
 am itur, onerant omne generis frugibus, sed præcipue Oryza. Iidem tam
 muli quam cameli, tentoriis atq; armis, reliquoq; bellico instrumento
 & apparatu portando deserviunt. Neq; tamen Turcæ, etiamsi annona
 vim secum ferant maximam, temere, ubi ad hostem ventum est,
 comportato commeatu manus admovent; in reditum potissimum
 reservatur, ubi referre pedem tempus admonet, & per ea loca reme-
 andum, quæ vastavit hostis, vel tanta hominum, jumentorumq; mul-
 tudo in modum locustarum penitus, ut sic dicam, abrasit. Unde
 fit ut commeatus copiam parcendo acquirant. Magnum enim
 vectigal est Parsimonia. Cui addas licet, quod Turcæ cum extre-
 mis difficultatibus patientia & sobrietate victus & parsimonia pu-
 gnant, semperq; melioribus se rebus reservant. Neq; etiam illis pecu-
 nia deesse poterit, dummodo ærarium non dilapidetur, aut turbæ
 aliqua excitentur, unde reditus publicos exigere non liceat.

Honor. The-
 san. polit. p.

95.

Busbeq. Ep.

3. L. T. p. m.

126. 24.

Busbeq. idem

Ep. 3. p. m.

129.

Honor. l. c.

Forstn. ad A.

Tac. 14.

XLVII. Imprimis vero, cum qui aliena arma prior occu-
 pat, qui nunc hunc nunc illum domi suæ exercet, ut de salute
 anxius de vindicta & offensione cogitare non vacet; multo sit
 ab externa vi tutior, quam qui hostem domi expectat: idcirco
 Turcæ cum primum bellum sibi imminere existimant, præve-
 nire potius hostes, quam præveniri student. Quo non tantum
 subditorum suorum direptiones præcavent atq; avertunt, sed
 præterea id consequuntur, ut milites spe prædæ, quam in ho-
 stili agro impune se acturos sperant, pugnam eo ferociores ca-
 pessant. Adde, quod hoc modo facilius commeatus parari possit,
 agris continuum & sufficientem cultum non desiderantibus.
 Quo respexisse videtur Hannibal, cum negavit, Romanos oppri-
 mi-

mi nisi in Italia posse. Qui & alibi in bellis plurimum momenti habere aiebat priorem aliquam cepisse occasionem, loci, temporisq; agros diripuisse, urbes aliquas expugnasse. Aliter enim domi, aliter foris bella tractari; domi ea sola auxilia esse quæ Patria vires subministrant: foris hostem suis etiam viribus vinci, rectè dixit Agathocles. Nam, ut cætera taceam, res hostis, in cuius sinum irruptio facta est, consumentur, territorium detondebitur, atque ita miles copiis hostis se alet atque sustentabit. Qua causa Carolus Gustavus Sveciæ Rex nostra ætate, Danis suis in regionibus secure degentibus, supervenire noluit, sed exemplo Scipionis Africani ad sua defendenda retrahendo hostem, se atque subditos suos ab incursione hostili tutos præstitit. Quo etiam Svecici Regni Status collimasse videntur, dum Anno Chr. 1619. Regi svasere, ut in hostiles terras belli molem volveret potius, quam reciperet.

XLVIII. Ne verò à fronte occupatis alius superveniens magnos motus facere possit, solent circumcirca eundo quasi in orbem cum vicinis bella gerere, nil hostile à tergo relinquentes nec longius ab una regione recedentes, quàm ab altera. Idque haud sine insigni fructu. Nempe qui magnus evadere Monarcha cupit (verba sunt Campanellæ) illum oportet omnes circum se habitantes populos usq; & usq; armis aggredi, & in potestatem suam redigere: sicut Romani primo omnium Sabinos & Latinos bello aggressi sunt; deinde Æquiculis, Pelignis, Vejentibus, Lucanis, Tuscis & Samnitibus arma intulerunt: semper usi circuitionibus, donec tandem, subjugata Italia, trajecerunt in Sardiniam, Siciliam, Hispaniam, Galliam, atq; Germaniam. Idem factitarunt. Babylonii in Asiaticos & Persas, Macedones similiter primo Thebanos, Epirotas, Laconas cum Achaïs & Ætoolis bello adorti sunt: deinde in Asiam progressi, totam eam armis compleverunt: adeò ut in fine, quemadmodum Livius & Plutarchus scribunt, gloria victoriarum elati etiam ad Romanos & Carthaginenses perrexerint Ajo, (sic pergit Campanella) Turcam, idem hodie conari, quod olim maxima imperia fecerunt. Nam primo victa Asia Minore, in Europam trajecit, & Græciam circumcirca vicit. Postea Syriam, Ægyptum, Arme-

Justinus l. 31.
 c. 3. n. 7. & c.
 5. n. 5. ad.
 Corn. Nepot.
 in Annibale.
 apud Justin.
 l. 22. c. 5. n. 4.
 Jan. Geb-
 hard. in Ann
 ad Corn. Nep
 Agesilaum
 num. 7.
 Chemnitz
 vom Schwed
 Dischen Krie-
 ge part. 1. l. 1.
 ff. 7.

Thomas
 Campanella
 l. c. c. 30. p. m.
 256.

Ibid. c. 19. p.
 m. 151. & 152.

Armeniam: donec tandem progressus in Macedoniam, Epirum, Hungariam. Eandem ob causam Regis Galliae formidabilem esse potentiam, quia partes Galliae sunt continuatae in Circulum, censet Reiffenberg, in Exeg. Hist. ad Pol. reg. Boteri p. m. 240.

XLIX. Porro ne satis oportuno tempore laedantur in differendis bellis arte utuntur admirabili, perpetuo propriam utilitatem aucupantes. Cum enim is, qui bella sola existimatione metitur, pluribus saepe bellis conflictari necesse habeat; Turcae, si quando tale quid sibi accidit, bellum finire conditionibus non satis neque honestis neque gloriosis solent; hoc multo melius esse existimantes, quam uno eodemque tempore cum pluribus bellis conflictari. Non secus atque olim Philippus Macedo, insignis calliditatis Princeps, *Bella quae, velut conspiratione quadam, ad opprimendam Macedoniam multarum gentium e diversis locis uno tempore confluebant, quoniam omnibus par esse non poterat, dispensanda ratus, alia interposita pactione composuit, alia redemit; facillimis quibusque aggressis, quorum victoria et militum trepidos animos firmaret, et contemptum sibi hostium demeret.* Ad Turcas vero ut redeam, utuntur illi praeterea hac calliditate, ut quamprimum nos unitos vident, illico ad inducias confugiant, quas statim rursus rumpunt, ubi nos divisos vident. Et enim Turcae quamprimum Christiani communi metu ad arma conclamantes contra illos sese conjungunt, Pacis mox conditiones et inducias subdole et insidiosae cum iis pangunt: dum vero Christiani mutua sua dissidia armis finire contendunt, Turcae quiete dominatur, et arma victricia in Reges Persarum et Georgianos vertit, donec Christianos rursus inter se discordare videt. Tunc enim in Christianos vertitur: & dum illi consultando tempus terunt, Turca progreditur, et modo hunc modo alium locum in potestatem suam redigit; tanta nimirum et tam perniciose sunt odia Christianorum, ardentibus ab ipsis votis expectata ut testatur *in Itinerario* Rawovolfius his verbis: Wenn nun die Türken solche herrliche Siege erlanget/heben sie ihre Hände auf/loben und preisen Gott den Allmächtigen/und bitten weiter daß Gott noch fernere Uneinigkeit unter uns schicke. Quod utinam cogitassent nuper Christiani, qui dum inter se ipsos, dissident Turcis occasionem dede-

Camp. c. 30. p. m. 256.

Justinus l. 7. c. 6. n. 4.

Campan. c. 19. p. m. 152.

in Itinerario p. 95. V. Richterius Axiom. c. 19. p. m. 29.

G re



re Waradini munimenti & propugnaculi Christianorum capiendi.

Art. recond.
Imperant. c.
2. p. m. 94.

Cent. 1. Rel.
64. ad An.
Tacit. 4. p.
343.

Honorius
Thesaur. Pol.
pag. 98.
Busbeqv. Ep
3. Leg. Tur-
cic. p. m. 174.
Honor. l. c.

Honor. & Go-
thofr. ll. ctt.
Paul. Jovius
in Elogiis ap.
Camerarii
Hor. suc.
Gont. 1. c. 2. p.
m. 42.

L. Etiam Religione Turcæ ad cupiditates suas velandas utuntur; vel potius abutuntur: adeò ut non malè intet arcana eorum referat *Desiderius Crescentius*, *Magno metu magnisq; superstitionibus inducere plebem*. Ut enim taceam constitutiones vel lege Mahumedis vel statutis religiosis introductas; (quas plerasque omnes, quem ad modum religionem Turcicam universim, consequendæ conservandæq; potentiæ adaptatas esse, adnotavit inter alios *Boccalinus*, pluribusq; documentis ostendit *Forstnerus* quoties Princeps malefacta sua, suas cupiditates, suamq; voluntatem subditis excusare cupit, summo sacerdote, quem *Muffti* vocant, tanquam instrumento ad velanda illa utitur. *Hic enim apud Turcas in maxima est veneratione, tantæq; autoritatis ut quoties nonnihil deciderit, Princeps ipse nolit illud retractare*. Tantiq; ponderis censentur istius responsa, ut Paganorum Oraculis parum vel nihil cedant. Et, si responsum seu *judicium ejus* (quod *Zetfa* appellatur) in causis forensibus, (nam omnibus negotiis, sive civilia sine criminalia sint, immò & status negotiis se ingerit) ab alterutro litigantium coram iudice ordinario producat, causa per ipsum terminatur juxta tenorem *Zetfa*; dummodo relatio, (quæ à consultantibus breviter in papyro exarari solet) veritati congruat. Igitur & in rebus Politicis Princeps ejusdem autoritate utitur, ut se justum ac religiosum ostendet: ipsius enim petit responsum, cum de bello hostibus inferendo, tum etiam de cæteris occasionibus ad Imperium spectantibus, ut hoc religionis medio tantò promptius subditos disponat ad peragenda, quæ cupit (non alia ratione quam Principi Catholico reverentiam Papæ atq; ministrorum Ecclesiæ svadent moderni statistæ.) Utq; clarius appareat, quo pacto id consequatur, non ignorandum, hunc *Mufftim* perpetuo adulari Principi, & ad ejus placita responsionem suam accommodare, suas sententias ex temporum oportunitate immutare: Huc etiam quodammodo pertinet, quod ex veteri consuetudine intranti templum supplicandi causa, Imperatori vel occidit ipse, vel ædituum occidere jubet, ut meminisse velit, Imperium, quod justitia & virtute bellica partum

fit,

fit, non aliis, quam iisdem artibus conservari propugnariq; oportere.
Quid enim hoc aliud est, quam crebra ista inculcatione efficere
velle, ut unusquisq; Principum nondeterior majoribus suis es-
se velit. Id quod ad res præclare gerendas non parum animos
Principum accendit. Sanè *Salustius* testatur, saepe audisse se *Q.*
Maximum, P. Scipionem, prætereà civitatis præclaros Viros, solitos
ita dicere; cum majorum imagines intuerentur, vehementissime sibi
animum ad virtutem accendi. scil. non ceram illam, neq; figuram
tantam vim in se habere; sed memoria rerum gestarum eam flam-
mam egregiis viris in pectore crescere, neq; prius sedari, quam Vir-
tus eorum famam atq; gloriam æquarit.

In Proemio
Bell. Jug.

LI. Cum verò longa experientia & alienis malis edocti sint,
plerumq; perniciosam esse Religionis immutationem, nec sine
magnis motibus suscipit; Gentes nuper devictas Religionem
suam libere exercere (ita tamen, ut summi Magistratus id be-
neficium agnoscant) patiuntur. Absurdum enim existimant co-
gi quænonquam, ut quæ non credit, credat. Quæ etiam *Tertulliani*
fuit sententia, qui alicubi: *Hoc*, inquit, *ad irreligiositatis elogium*
concurrit, adimere libertatem Religionis & interdicare opinionem
Divinitatis; ut non liceat mihi colere, quem velim; sed cogar, quem
nohim. Turcæ igitur, tantum abest, ut aliis suam Religionem in-
vitis obtrudant, ut potius alios libere, ubicunq; volunt habi-
tare & negotiari, etiam in ipsa urbe Imperatrice, sinant. Quip-
pe haut diu post Constantinopolim expugnatam Exteris omni-
bus liber receptus, libertasq; Religionis Lege lata permilla sunt.
Imò secundum nonnullos Diversas Religiones Regno suo orna-
mento atq; emolumento esse, existimant. *Sulimannus* certe,
cum *Muffius* & *Bassæ* quidam, ut Judæos & Christianos ad mu-
sulmannizandum cogeret, hortarentur, in hortum variis flori-
bus ornatum è fenestra prospexit; quem illis monstrans hunc in
modum locutus fertur: *Quemadmodum ista varietas distincta*
non solum nihil obest, sed mirificè oculos atq; sensus recreat; sic in
meo Imperio diversa Fides ac Religio potius usui est, quam oneri;
modo pacate vivant, & mandatis meis parcant.

Honor. Disc.

quo contend.
Turcicum
Imp. quam-
vis Tyranni-
cum tamen
esse invinci-
bile.

Camerar.
Hor. Succes.
l. 1. c. 9. p. m.
414.

Pareus in
Medull. Hist.

Bæcl. de Pot.
Civit. p. m.
379.
de Urbe Con-
stantinopoli.

Bæcl. l. c.

Ibid.

Gravius in

LII. Neque tamen omnino nulla ratione à diversitate Religio-
num sibi Turcæ metuunt; Nam etsi Christianos Judeosq; non
admodum timeant; valde tamen verentur, nequando insignis
Orientis pars ad Persam deficiat, & sic ejus potentia vires captet ex
Rebellionem subditorum apud extrema habitantium. Nam, si credimus
Autori Relationis quæ apud Honorium extat, Turcarum secta, que
in porta Ottomannica regnat, intra solam Europam constringitur. A-
sia enim & Arabia tota, quoad Turcico Imperio subjectæ sunt, intrin-
secus Persicæ adherent. Et quamvis Mauri Syriaci & Ægyptiaci non
nihil à Persis differunt, à Turcis tamen bene multum discrepant. Que
res Ottomannis maximum terrorem incutit, verentibus ne belli ad-
versus Sophum occasione notabilis aliqua defectio oriatur. Nam vel
maxime metuitur ipsorum Turcarum favor, quo Religionem Persicam
prosequuntur. Quare summo studio cavent, ne bello cum Persis im-
plicentur. Cujus eorum instituti præteream, quam diximus, &
alia causa est, Nam si Turcis bellum cum Persa est, rebellibus Bas-
sis tutus datur receptus: quemadmodum semper in bello cum
Persis contigisse apparet. Neq; etiam desunt exempla verum contra
Persas infeliciter gestarum. Quod verò Boterus censet, Persas mul-
tum cedere virtuti scientiæq; militari Turcarum, tormentorum-
que & bombardarum usum ignorare, id non nisi de præteritis
temporibus verum est. Nam hodie bombardas earumq; usum
eos non ignorare ex Oleario in Itinere Persico & Bizarro in Ann.
Persie clarum est. Neq; cum Schab Abbas Persas regeret, Turcæ
cladibus non affecti; dum Babyloniam ipsi relinquere coacti sunt.

LIII. Hæc de mediis ad utrumque finem Imperatorum Tur-
cicorum obtinendum adhiberi solitis, dicta sunt. Quibus bre-
viter aliquid adnectemus de alio eorundem sine specialiori; qui
non alius est, quam oppressio Christianorum, ex antecedentibus
dependens. Mahumedes enim regnum suum super alia quam-
plurimum elaturus, Religionem suam colentes plus quam Vati-
niano odio in Religione à se dissentientes, imprimis verò Chri-
stianos, quorum tunc potentia magna erat, armavit, eisque spem
fecit, fore, ut per illorum cædes Paradisum Mahumeticum con-
sequerentur. Talem enim formulam Impostor dictus suis pro-
po-

posuisse dicitur: *Es ist mein Wille und Begehren / daß ihr meine Gesetze haltet / Kriege führet im Namen Gottes / mit Gewalt meine Lehre und Gesetze fortpflancket / und die Widerspenstigen darzu zwinget.* Qua causa & nil turpius ducunt Christiano nomine, adeò ut etiam *canum*, quod maximè obscœnum apud illos est animal, nomine illos insignire non vereantur. Hodienum etiam illi, qui ad Turcicam Religionem deficit, telum traditur; quo nil aliud innuitur, quàm, ut Wallichii verbis utar: *Daß er nicht allein den Alcoran in Ehren halten / sondern auch wieder die Christen seinetwegen streiten / und keinen Leben lassen wolle.* Imperatores quoque Turcici bello Christianos persequi maximè pi-um existimant. Non tamen negandum est, majus illorum odium in *Persas* esse; utpote Hæreticos, & qui facilius veros Musulmanos corrumpere valeant. *Rustanus enim Bassa Busbequio* causas Belli inter *Turcas & Persas* easdem illis, quæ *Galios & Hispanos* colliferunt, facienti respondit: *Alia res est; nos enim, ne sis nescius, magis averfamur Persas, quam vos Christianos.* Quin & aliquando *Mufftim* dixisse ferunt: *Gratius Deo fore, unus si Persa, quam si centum vel amplius Christiani interficiantur.*

LIV. Dicendum nunc esset *de duratione & firmitate infirmitateve Imperii Turcici.* Sed ne faciamus; duo nos absterrent. Unum, quod ista paucis pro rei dignitate exponi nequeunt. Alterum, quod captum nostrum superant, veremurq; adeò, ne quis nobis objiciat, quod olim non nemo Rhetori cuidam linguæ *balistas* in *Alexandrum M.* jacenti: *Audesne juvenis de tantis rebus loqui.* Si quis tamen ea cognoscere avert, is evolvat, quæ in hanc rem inter alios habent *Boterus parte 2. Relation. universalium, Autor Relation. de Urbe Constantinop. apud Honorium, & sequentis Discursus, quo contenditur, Turcicum Imperium etsi Tyrannicum, tamen per rationes naturales invincibile esse; ut & qui illi subnectitur, de Bello Turcis inferendo; Gotthofredus in Archont. Cosm. cap. de Imperio Turcico. It. Campanella de Monarch. Hisp. passim. Forstnerus in Not. ad Annal. Tac. 5. p. 257. Et in Omis. p. 125. Bœclerus Dissert. de potentia Civit. Busbequius in Exclam. Reusverus passim &c.* Quid nobis videatur, in ipso differendi actu, si opus erit,

Expl. Apo-
calyps.

Busbeq. Ep.
1. & 3. Gotho-
fr. l. c. Hot-
tinger. in Ar-
chiol. Or.

Wallich. in
Rel. Turc.

Barcl. in I-
con. Anim.

in Comp. An-
tiChrist.

Boccalin.

Rag. 1. c. 64.
Busbequius

Ep. 3. Leg.
Tur. p. m. 142.

Plutarch. de
Kep. ger.

petenti aperiemus. Nunc, quod unum superest, voto hanc Dis-
sertationem finimus: Te Pater Omnipotens, eterne atq; immorta-
lis Deus, Te Domine Jesu, Patri consubstantialis, Redemptor atq; Salva-
tor hominum, Teq; Spiritus Sancte, unus cum Patre & Filio Deus, Te
SS. & individua Trinitas, publica voce obtestor atq; humillime precor,
custodi, conserva, protege nostram Germaniam; depelle noxia, a-
move inimicos, tuere pacem, conserva ipsi, & porro destina Princi-
pes, quorum cervices tanta Imperii moli sufficiant; Consilia omnia
statuum pia atq; salutaria ad felicem exitum provehe, noxia opprime,
Seorsim vero me atq; alios omnes Tibi deditos à cunctis animæ peri-
culis & damnis clementissime preserva, atq; ad novissimum
diem prepara. Veni, Domine Jesu! Veni

Ἡ χάρις τῆς κυρίας ἰσοῦς χριστοῦ, καὶ ἡ ἀγάπη τῆς θεῆς, καὶ ἡ κοινωνία
τῆς ἁγίου πνεύματος μετὰ πάντων ἡμῶν ἀμήν.

COROLLARIA.

- I. Turcæ Nobilitatem ex cujusque merito æstimanti; verum non
Virtutis amore, ut censet Busbeq. Epist. I. L. T. sed planè politicum
subest Strategema, ut recte censet Besoldus Synops. Pol. I. I. C. 10. §. 7.
- II. Parricidia Imperatorum Turcicorum imperium eorum gravis-
simis periculis exponunt. Campan. de Mon. Hisp. c. 30.
- III. Magnus in eodem imperio militum, presertim presidiariorum,
numerus materia tam frequentium seditionum baud male censetur.
- IV. In Regno Angliæ absq; seditionum metu Quakerorum secta
ferri vix potest.
- V. Potentissimi Gallie atq; Hispania Reges omne pacis atq; belli in fi-
nitimis regionibus arbitrium pridem non obscure sibi arrogatum, ve-
luti publico instrumento sibi confirmare voluisse videntur in instr. Pa-
cis Hispano Gall. art. 3.
- VI. Nullam religionem optime Politie magis convenire quam
Christianam, benè contra Machiavellum docet Besoldus Syn. Vol.
I. 2. p. I. C. 2. §. 4. & 5.
- VII. Ex omnibus Christianorum sectis Lutherana Principibus sum-
misque potestatibus maxime æqua videtur.

FINIS.

Pon II n 6092, QK

ULB Halle 3
001 855 433



VDA7





2.K
104,2.

DN.
Alho
Pat
VI
FA
I
M
T
CELE
D

MICUS,
SIMOQUE
CO.
MODE-
M,
ARISSIMO
BO
A BOSIO,

Πⁿ
6092

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

summo honoris
sequendo,
la
cit
n / HANNO-
lc LXII.
RIANIS.
Suchta.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak
LICENSED PRODUCT

Blue 3/Color Black

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

